


47

IN NOMINE SSmæ. TRINITATIS

# SPECULUM PARVUM RELIGIOSORUM.

De tribus votis essentialibus Religionis, alijsque virtutibus eis annexis.

*Ex B. Humberto V. Generali Magistro Ordinis Prædicatorum.*

De vita spirituali, & breui methodo perveniendi ad perfectionem.

*Ex S. Vincentio Ferrerio eiusdem Ordinis.*

De acquirenda vera perfectione.

*Ex S. Catharina Senensi, eiusdem Ordinis.*

De studio Meditationis. *Ex P. M. F. NICOLAO Moscicensi Polono eiusdem Ord.*

De formandis Novitiorum moribus (vbi & alia) *Ex P. Ioanne Nys Antuerpiensi eiusdem Ordinis.*

Labore F. FERDINANDI OHM, alias IANUSZOWSKI, eiusdem Ordinis reimpressum.

*Cum licentia Superiorum.*

---

Cac: Typis Schedelianis, Anno Dñi. 1689.




# FACVLTAS
## *reimprimendi.*

COmmittimus A. R. P. M. F. Ferdinando Ianuſzowski, ſecundo, huius Capituli noſtri Diffinitori, quatenus pro maiori Patrum ac Fratrum præſertim juvenum utilitate & commodo, reimprimi faciat Librum, ferè iam extinctum & propterea difficiliter acquiſibilem, cui Titulus.

*Speculum Religioſorum.*

Ex actis Capituli Provincialis Provinciæ Poloniæ Ordinis Prædicatorum, in Conventu Płocenſi S. DOMINICI, die 19. Aprilis. Anno reſtitutæ hominibus ſalutis, 1687. celebrati.



# DIVO IOANNI CANTIO. REGNI POLONIÆ PATRONO.

in
Celeberrima
Vniversitate Cracoviensi
Sacræ Theologiæ
Doctori
&
Professori.
Sapientissimo.
Fr. FERDINANDVS Ord: Prædicatorũ.
in signum profundissimæ reverentiæ
offert.

*CHristianorum obseruantiæ conuenit, DEI Amicos, æternâ beatitudine summo Bono vnitos. profundissimâ veneratione colere. si sic. Te Beatissime Doctor, & Illustrissimum Vni-*

verſitatis Cracouienſis decus, eâd
reuerentiâ veneror, dum hoc Spe-
culi Religioſorum Opuſculum ex
varijs Ordinis N. Auctoribus col-
lectum, tuo Nomini conſecrandum
duco, vt ſub tua tutela conſiſtens
perfectos Religioſorum faciat re-
præſentare mores. Nec aberro hæ
enim debiti ordinis exigentia, San-
ctis Sancta conſecranda. Et li-
cèt priora opuſcula Prælatis Eccle-
ſiæ conſecrauerim, vt reimpreſſio-
nem Theologiæ Moralis P. M. Ni-
colai Moſcicenſis, Illuſtriſſimo An-
tiſtiti Cracouienſi, item proprij la-
boris aliam Theologiam Moralem
Reuerendiſſimo Antonio Krzeſimo-
wski Abbati Kopriunicenſi, hoc O-
puſculum, vtpote excellentius (ex-
cellentiorem enim viam ad perfecti-

onem

nem Christianam ostendit, dum non
solûm præceptorum, sed & consilio-
rum Evangelicorum obseruantiam
docet) Sancto est conseruandum. Et
veré Sanctus es, Beatissime Doctor-
in quo ardentissima in Deum & pro-
ximum charitas, heroicis actibus
(vt est propriarum vestium infa-
vorem pauperis spoliatio) notifica-
ta. verè Sanctus es, in quo Passio-
nis Dominicæ, & dolorum sanctissi-
mæ Virginis Matris, ferventissima
meditatio, obquam meruisti mira-
culosâ allocutione recreari, in quo
profundissima humilitas, non enim
Doctoralibus honoribus, subtilita-
te intellectûs, scientificâ rerum no-
titiâ inflabaris. vnde desiderans sa-
turari contemptu, onerosas suscepi-
sti peregrinationes, ad sepulchrum

*Domini semel, ad limina Apostolorum quater. Verè Sanctus es, in quo inaudita vitæ sinceritas, non reperta à Latronibus, vltro elargiendo Mortificationes, ut asperitas ieiunij Ecclesiarũ, tempore brumali, nudis pedibus, visitatio. Pro lecto, nuda humus assumpto, in S. Theologiæ Doctoratu, à carnibus abstinentia, invicta patientia, domesticas persecutiones, maledictiones, tolerando, indefessa Pastoralis cura animarum, exemplari vitâ, lucrum. mirum in dæmones imperium. dum in forma hirundinis, circumuolantem infernalem bestiam, captam, interram prostrâsti. Loquantur alia, infirmi, varijs languoribus oppressi curati, obsessi liberati, mortui, resuscitati. Quæ omnia exprimunt singulare*

gulare

*gulare Dei ſeruitium, & hominem ſanctum.*

*Liceat præfato titulo* (Sanctis Sancta conſecranda) *addere grati animi obligationem, fundatam in affectu* Doctiſsimorum *Almæ Academiæ Profeſsorum quibus ordinaria & communis cura in defendendis veridicis* Doctoris *Angelici dogmatibus. Præſtant id* Doctiſsimi *in Sacra* Theologia *Magiſtri & Profeſsores, Adamus Opatouius, & Simon Staniſlaus* Makowski *Primus, vniuerſam ferè Sancti* Thomæ *ſummam, ſecundus, primam eiuſdem S. Doctoris, partem, clariſsimis illuſtrant commentarijs. Adde, ſecundi, ampliſsimum totius Philoſophiæ curſum, menti* Doctoris *Angelici accomodatum.* Nec *prætereun-*

*dum dictam grati animi obligationem, annuatim radicari, dum ad declarandum indissolubilem, inter Almam Academiam & Ordinem Prædicatorum nexum, item ad exprimendam singularem, in doctrinam D Thomæ reuerentiam, recurrente Festiuitate, Orator Academicus Sanctum Doctorem solemni celebrat panegyri. His ergo titulis, tum in te immediatè Beatissime Doctor, tũ in alio fundatis, tibi* Religiosorũ Speculum, *& me totum consecro. Fac ut tuâ apud Diuinam Maiestatem intercessione, per illud, perfecti, perficiantur adhuc non satisfacientes obligationi tendendi ad perfectionẽ, (de quorũ ego numero) corrigătur. Cracoviæ in Conu: SS. Trin: Ord: Præd.* 10. *Martij* 1689.

Sic

Sic & Te
*Beatissime Doctor.*
Et in Te
*Celeberrimam.*
Vniversitatem Cracoviensem
*veneratur.*
Fr. FERDINANDVS Ord: Prædic: *de Conventu Cracoviensi.*



*Ad beneuolũ, tum huius, tum* 1689. *impressi Opusculi, Lectorem.*

POst reimpressam P. Magistri F. NICOLAI Moscicensis, & aliam, proprio labore, luci porrectam, Theologiam Moralem, *Speculum Religiosorum*, à P. IOANNE Nys, ex SS. Ordinis N. collectum Authoribus, â P. EVSTACHIO Mayer auctum, cui ex P. Magistro F. NICOLAO Moscicensi, de studio Meditationis, Opusculum, licentiâ Su-

periorum inserui, tibi benevole Lector, propono. Habes, in quo tuos contempleris mores, quos si difformes conspicis, corrige, ut conformeris, ne retro aspiciens, regno cælorum ineptus iudiceris.

Si in aliquo non quiescis, honorando Sanctos & Doctos, ex quibus hæc desumpta, in bonum interpretare sensum. Quod & impressæ 1687. proprij laboris præsta Theologiæ. videbis L. 1, d. quindecimâ in fine conclusionis nonæ. quandam perplexitatem. Sed respice initium cõclusionis, vbi de grávi necessitate sermo quam non facit dispositio rerum necessariarũ ad actum, de quo ibi. Item L. secundo. d. septuagesimâ secundâ. Conclusione decima, videtur cuidam determinationi S. Congregationis contradici. sed contradictio non est, si *ly eandem* accipias genericè, non specificè. Nec per eadem

dem, sed per diversa intendas lucrari indulgẽtiam plenariam, qualiter intelligenda cõclusio. Si præter has, alias videris perplexitates, etiam in bonam partem trahe, obscuritas enim compendijs affinis, adæquatã non patitur explicationẽ vale, & dictis laboribus, pro bono animarũ, pretiosissimo Christi Domini Sãguine redemptarũ, utere.

Sic
*Errata Corrige.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Fol.* | 26. | cicumerem | cucumerem. |
| *Fol.* | 46. | si terra | sit terra. |
| *Fol.* | 47. | quic, | quis. |
| *Fol.* | 48. | indusisse, | indulsisse. |
| *Fol.* | 60. | Carthasonæ, | Carcassonæ. |
| *Fol.* | 69. | nos vitijs, | non vitijs. |
| *Fol.* | 73. | salatim, | solatium. |
| *Fol.* | 103. | | Dominus. |
| *Fol.* | 104. | | cognomento. |
| *Fol.* | 108. | Quincunq; | Quicunq;. |
| *Fol.* | 135. | adorem, | ardorem. |

## *Sic Errata Corrige.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Fol. | 143. | ad delicias, | delicias. |
| Fol. | 148 | propter obedientiæ, | propter humilitatem obedientiæ. |
| Fol. | 151. | confert, | eum fert. |
| Fol. | 151. | adinventum. | adinvento, |
| Fol. | 152. | prigritia, | pigritia. |
| Fol. | 156. | apperet, | appareat. |
| Fol. | 164. | optanda, | optandæ. |
| Fol. | 191. | truncarentur, | truncaretúr. |
| Fol. | 200. | divinâ, | diutina. |
| Fol. | 202. | delicatarum, | delicatorum. |
| Fol. | 210. | proprius, | propiùs. |
| Fol. | 211. | quam iugi, | quam in iugi. |
| Fol. | 216. | impediat, | impediant. |
| Fol. | 221. | dixit, | dixi. |
| Fol. | 224. | poteſt, | potes. |
| Fol. | 230 | rigidiiiſſimus, | rigidiſſimus. |
| Fol. | 243. | flexio, | flexo. |
| Fol. | 245. | ut prius petam veniam, | L. cõverſatio humana confirmat ut prius petam veniam. |
| Fol. | 256. | aliquando | ſi aliquando. |
| Fol. | 257. | Novitijs, | Novitij. |
| Fol. | 337. | ontinuos, | L. continuos. |
| Fol. | 364. | clauſtris, | de clauſtris. |

EPIS-

*Exordiamur à Doctrina Sanctissimi Patris N.* DOMINICI.

# EPISTOLA

*Sanctiss: P. Nostri* DOMINICI,
AD FRATRES POLONOS.

*Filijs & Fratribus Charissimis, Vniuersis Prioribus, & Conuentibus Ordinis Prædicatorum per Prouinciam Poloniæ constitutis.*

Fr. DOMINICVS *Seruus humilis in consolatione S.* SPIRITVS *gaudium & salutem.*

QUotidiana, de omnium Vestrũ profectu & salute soliciti & annua vos exhortatione admonere consueti, ecce iterum celebrato Capitulo Generali, quasi annuum nostræ seruitutis tributum, Vestræ charitati rependimus, charitatis debitum in hoc exolventes, quod quantò magis soluimus, plus debemus. Itaq; Fratres mei desideratissimi

cissimi ac dilectissimi, gaudium & lætitia cordis mei, per Dei misericordiam obsecramus, ac per charitatem Sancti Spiritus contestamur, vt inter mundanas varietates, & fluctus feri maris, in quibus reproborum confusiones, vt cernitis deprimuntur, vos qui ad Vitam Religionis Dei aspirante gratiâ cõfugistis, confugistis ad portum cœlestis Patriæ, inde continuis desiderijs, & indefessis laboribus contendatis. Intumescentes adversitatum procellas & tentationum varias tẽpestates magna fide calcantes, & ad Christum potestati Maris dominantem, & motum fluctuum eius mitigantem confidenter & alacriter properantes festinate Charissimi ingredi in requiem qui alios festinare monetis. Estote vigilantes, qui alios ad vigilantiam excitatis. Estote omni puritate & sanctitate conspicui, qui fideles ad sanctimoniam-

niam inuitatis. Calceati pedes in præparationem Evangelij fraterna charitate estote concordes, humilitatis & obedientiæ verò Dei Patris Filio Vos exhibete conformes, vt Angelicum Vestræ Professionis Officium condignis actibus honoretis, qui in salutis humanæ officium missi estis. Divinis aspectibus In omni loco reverenter assistite, & proximorum ædificationi fideliter ministrate, vt ignito prædicationis eloquio, & salutari in Confessionibus consilio abundare possitis, Scripturas divinitùs inspiratas, & legem Domini immaculatam convertentem animas, audiendo, meditando, scrutando lectemini, studio semper vtilium insistentes, & curiositatis dispendium evitantes. Et quoniam linguam vestram sacratissimis Eloquijs consecratam decet exhibere Orationem charitatis, non officium vanitatis. Sermo

mo Vester semper sit sale conditus, vt det gratiam audientibus: & resumpta censura silentijs, quæ tam minùs reverenter & patenter à quibusdam Vestrum noscitur esse projecta, argentum Vestrum & aurum conflate, verbis vestris stateram justam facite, & frenos rectos imponite ori Vestro. sit Vobis Sermo viuus & efficax, omne vanum, & non planum respuens, & lingua placabilis lignum Vitæ, Verbum, sanctũ & inreprehensibile, quod adversarius reuereatur, quo ædificentur proximi, & gloria Dei dilatetur. Ferueat in cordibus Vestris animarum lucrandarum zelus, ardens & acutus, quem regat ratio, dirigat discretio, temperet conuersatio mansueta. Et quoniam Vos in eminentissima specula constitutos oculi multorum respiciunt, & à vobis magis exempla virtutum, requirunt, quam ornamenta sermonis;

monis; mittamus manus ad fortia, digitis mirrham probatiſſimam diſtillantes, vigorem in operibus, perſeuerantiam in aduerſitatibus exhibentes, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpe concepta cœleſtium, ſecura mente conuiuium prægustemus in terris, quo nobis est in æternitatis abundantia perfruendum. Valete & vigeat Paternitas Veſtra in Domino IESV Chriſto, meq; inutilem Servum Veſtrum Sacris habete Veſtris Orationibus commendatum.

Hanc refert in Annalibus Sacri Ordinis Prædicatorum Pater Magiſter Thomas Maluenda ad Annum ʒtũ. Sanctiſsimi Patris Noſtri DOMINICI folio mihi 336. qui ſubdit ex Patre Magiſtro Bzovio. Antiquâ conſuetudine Patrum Prouinciæ Poloniæ divina hæc Sanctiſſimi Patris Noſtri Epiſtola aureis litteris exaranda in communi refectorio

rio ſingulis ſeptimanis omnib⁹ Fratribus præſentibus à Lectore menſæ die Dominico prælegebatur; vt ad eam prælati, cæteriq; Fratres facili⁹ ſe cõponerẽt, quo ſæpius auribus eorundẽ inculcabatur cordiſq; tabulis inſculpebatur. Hæc ille.



# EX VITA BEATI HVMBERTI.



*Eatus* HVMBERTVS *de Romanis natione Burgundus, nobili genere procreatus, poſtquam Pariſijs ſtudijs operam dediſset, & liberales artes docuiſset, omnibus relictis, intrepide ad vexillum* S. DOMINICI *confugit, & ſtrenuè militauit. In Synodo generali trigeſima tertia communi*

muni ſuffragio totius Ordinis V. Magiſter Generalis electus eſt anno 1254. quo officio undecim annis valde laudabiliter & magno zelo functus eſt. Qui poſtea in alia Synodo generali anno 1263. raro humilitatis exemplo, ſummā hanc præfecturam depoſuit, magis eligens ſubeſſe quàm præeſſe. Eadem animi ſubmiſſione oblatam ſibi Patriarchatus Hieroſolymitani dignitatē à Nicolao III. Pontifice Maximo reſpuit. Vir fuit religione conſpicuus: imo omniū Religioſorum ſimulacrū Doctrina quoq; clariſſimus, quod opera teſtātur: cōplura ſiquidē ſcripta edidit, tam Ordini noſtro utilia, quam cæteris religioſam vitam ducere cupientibus proficua. Scripſit enim ſuper Regulam Diui Auguſtini.

Item, De Eruditione Religiosorũ,
De veris & falsis virtutibus,
De Prædicatione Crucis.
De officio Ecclesiæ,
De Officijs Ordinis; & præsens opusculum De Tribus Votis Religionis: & multa alia fructuosa & salutaria. Vnde patet quanto zelo arserit, qui sic verbo & scripto omnes inflammare & excitare ad pietatem, Religionem & perfectionem studuit; & multo magis exemplo prælucere 52. annis quibus in Religione sanctissimè vixit. Qui anno 1276 in Domino obdormiuit, in cœnobio valentinato. Cuius corpus asseritur ab oculatis testibus adhuc integrum & incorruptum remanere. Sicuti & corpus B. Henrici Susonis Anno 1613. Vlmæ multorũ admiratione, planè incorruptũ post ducẽtos & 40. annos, repertum quoq; est.

INDEX





# INDEX.
# CAPITVM
## EXHORTATIONIS
## ad tria Vota B. HVMBERTI.




Quod

# INDEX.



De cir-

# INDEX.





EXHOR-



# EXHORTATIO B. HVMBERTI

## V. GENERALIS MAGISTRI. Ordinis Prædicatorum.

## *DE TRIBVS VOTIS Eſsentialibus Religionis, aliiſq; virtutibus eis annexis.*

Quam ſcripſit ad ſingulas Provincias totius Ordinis.

### PRÆFATIO AVCTORIS.

FIliis gratiæ & cohæredibus gloriæ, fratribus chariſſimis de Ordine Prædicatorum univerſis, Frater Humbertus eiuſdem Ordinis Magiſter & ſervus, vitam ducere DEO gratam, ſibi fructuoſam, Angelis iucundam, dæmonibus terribilem, hominibus e-

xemplarem. Nulla ſunt omnino reputanda, dilectiſſimi, quæ divinæ laudi non militant, vel honori. Inde eſt quod offici necesſitate ac fraterna charitate compellimur, nunc ſcribendo, nunc monendo ſæpiùs inculcare, quæ nobis bona facere & quæ mala deceat declinare. Sed cùm pateat quod ſecundùm affectivam & intellectivam vires geminas ſit animæ profectio bipartita, virtus videlicet & ſcientia, decet his nimirum virum ordinari Evangelicum, vt per primum in bonum, per alterum dirigatur in verum; per primum ardeat, per ſecundum luceat. Per primum potens ſit in opere, per reliqvum in ſermone; illius exemplo qui *cœpit facere & docere.* Deniqve præſentem epiſtolam dignam duximus charitati veſtræ ſcribere quæ vos inſtruat & moneat ad regularis obſervantiæ diſciplinam.

*Actor:* 1.

igitur

igitur ab Obedientia, quæ una eſt de ſubſtantialibus Religionis, noſtrum principium inchoamus. ad laudem & gloriam illius; qui eſt origo omnium bonorum & finis, AMEN.

## CAPVT I.

## DE VOTO OBEDIENTIÆ

### *Commendátio Obedientiæ.*

DIligenti ſtudio ſatagamus, fratres chariſſimi, virtutum exercitijs inſiſtere, quibus Chriſto conformemur, & ad perfectionis ſemitam informemur. Et quis ambigat Obedientiam talem eſſe? Hanc enim Salvator noſter in tantum amplectitur, ut uſqve ad mortem factus Patri obediens, crucis ſupplicio condemnetur. Per hanc multarum gentium Pater Abraham, terram ſuam egreditur, & uſqve ad immolationem filij quẽ habuit chariſſimum inclinatur. Per hanc

*Exemplũ obediẽtiæ Chriſtus Dominus Abrahã. Philipi 2. Geneſi 22 Ioſue. Num: 13. Exod: 17. Sine obedientia religioſus non poteſt ſalvari.*

Iosue terram promissionis invasit, & hostes gladio suo stravit. Monemus igitur & hortamur in Domino, ut Obedientiæ bonum eo servemus sollicitiùs, quanto sine illo regularibus non est salus: scientes certissimè, quòd accepta est multum apud omnipotentem Obedientia, qua pro Christo nobilissimum quid in anima captivatur, libertas videlicet voluntatis. Quare dignum est & iustum, ut qvanto qvis arctiùs per obedientiam nunc stringitur, tanto postmodum gloriosiùs in cælestibus elevetur. Hoc ipsum certè
*In Vitis PP.* nobis innuit exemplum illud quod scribitur, quòd cùm fratri cuidam quatuor ostensi fuissent ordines bonorum, eum tamen qui servavit obedientiam, summum vidit.

## CAPVT II.

### DETESTATIO

*Inobedientiæ.*

IN contrarium autem valde detestabilis Inobedientia dignoscitur: quæ idololatriæ sceleri comparatur. Per hanc spirituale furtum committitur, vel rapina. Nam si occultè obedientiæ contrariamur, furtum est; si manifestè, rapina: quia in utroq; rem alienam invito domino contrectamus. Voluntatẽ enim quam Christo reliqvimus, contra iustitiam usurpamus. Non igitur immeritò Pater noster Adam immortalitate spoliatur & innocentia, ac de Paradisi amœnitate ejectus: in hanc vallem miseriæ relegatur. Per quæ apertè criminis huius enormitas declaratur.

*1. Reg. 15*

*Inobediẽtia quoddam furtũ & rapina.*

*Quare Adam eiectus de Paradiso*

## CAPVT III.

### DE ILLIS QVÆ VITIANT Obedientiam.

SIcut multa sunt quæ reddunt obedientiam commendabilem, sic sunt plura quæ faciunt ipsam

 psam

psam viciosam. Sunt enim nonnulli, qui ut citiùs absolvantur malè exercent officia sibi iniuncta. In alijs verò reperitur extorta licentia. Alij accipere licentiam non curant. Alij negatam contra licentiam id quod placet facere non formidant. Alij iubente Prælato contradicunt, & tamen faciunt: alij quidèm devotè obedientiam suscipiunt, sed executionem negligunt: alij, ne mandatum ad eos perveniat, se abscondunt: alij, quod peius est, se tales exhibent, ut Prælatus nil eis audeat iniungere vel mandare: alij dicunt se nescire vel non posse quod mandatur, mendacium quodammodo coniungentes inobedientiæ: cùm eos ignorantia vel impotentia non impediat, sed voluntas. Quidam quoque nolunt facere ea quæ eis iniunguntur, timentes ne ab ipsis talia quasi ex consuetudine requirantur: alij

per

perficiunt, sed cum murmure & non voluntariè, sed coactè: alij quidem perficiunt obedientiam, sed hoc triste vel nimis tardè. Sūt & quidam qui quod volunt obtinent minis vel precibus importunis, & si quando negatur eis licentia, domum commovent & se ipsos. Hi omnes si veram obedientiam adverterent, in sua conscientia de prædictis se graviter accusarent. Sed heu sunt nonnulli qui *colant culicem, & camelum glutiunt*: qui parvas negligentias in se puniunt, & maiores non advertunt: quasi statum hunc periculosum minimè recognoscant. Tales autem si amatores puri cordis essent, non tam malum actum, quàm malum statum corrigere laborarent.

*Turbatores communitatis*

*Math: 23.*

## CAPVT IV.

### *QVALIS ESSE DEBET* Obedientia.

*Qualiter obediēdū.* VT autem obedientia vera sit DEO acceptabilis, studete habere 1. promptam sine dilatione, 2. devotam sine dedignatione. 3. voluntariam sine contradictione, 4. simplicem sine discussione. 5. ordinatam sine deviatione, 6. jucundam sine turbatione, 7. strenuam sine pusillanimitate, 8. universalem sine exceptione, 9. perseverantem sine cessatione.

## CAPVT V.

### OBEDIENTIA SIT *prompta.*

BOnus itaqve frater adeò sit paratus & non turbatus, ut inveniatur ad obedientiam semper promptus. Quapropter dilectissimi, sitis sicut aurum ductile, & quasi virga flexibilis, quæ rectificatur ad libitum artificis vel curvatur. Sitis sicut rotæ volubiles, quæ secundùm impetum spiritus movebantur. *Sitis vt jumentum*

*Ezech: 1. & 10.*

tum

*tum* apud Deum, cuius dorſo quæ-
libet indifferenter imponuntur. *Pſal. 72.*
Certè ſyllaba indifferens, mul-
tum eſt grata verſificatoribus, quia *Promptus obediens Deo & hominibus gratus.*
poni poterit in omni loco: ſic &
promptus frater ad obedientiam
Deo gratus eſt & hominibus, quia
nihil reſpuit iniunctorum. Legi- *Iob. 38.*
ſtis chariſimi, quód ſtellæ vocatæ
dixerunt, Aſsumus. Per quod a-
pertè datur intelligi, quàm con-
juncta debent eſſe vox jubentis,
& operatio exequentis. Talis il- *Hier: in Vitis PP.*
le bonus Marcus extitit, qui vo-
catus, imperfecta dimiſſa litera
quam inceperat ſtatim venit. Sed
è contrario quidam velut quadra-
ti lapides ad obedientiam vix mo-
ventur; de quibus ait Sapiens:
*Qui transfert lapides, affligetur in* *Eccl. 10.*
*eis.* Cùm enim Prælatus ponere
quoſdam in obedientiæ bono ni-
titur, per contradictionem rebel-
lium fatigatur. Ad obedientiæ *Rebelles fati.*
promptitudinem animemur per

gant & affligunt Superiores.

exemplum. Nautæ enim imperanti in mari, nulla dilatione differtur executio. Iniungitur nobis aliquid, & inobedientes erimus Prælato? Pudet quòd servi nostri conducti pro parvo precio proniores sint ad peragenda gravia, quàm sumus nos Prælatis nostris pro gloria sempiterna.

## CAPVT VI.

### OBEDIENTIA SIT DEvota, & sine dedignatione.

SIt post hæc devota Obedientia vestra, fratres. Eanamque devotione suscipiendum est quod iniungitur, ac si Dominus præcepisset. Non enim homini, sed in homine certissimè Deo obedimus. Dubium namque non est quin acceptum offeratis sacrificium Redemptori, dum propter ipsum alienæ vos subditis voluntati. Vtinam simus, fratres, per obe-

obedientiam cum Christo crucifixi: vt sicut ille membra clavis habuit ligata, sic mandatis superiorum nostrorum membra nostra sint omnia captivata. Scientes certissimè, quòd tanto apud Deum liberiores erimus, quanto nunc pro illo devotiùs arctamur. Denique virtus hæc non sine causa victimis antefertur, quia hic mactatur in holocaustum omnipotenti Deo voluntas propria, sed ibi caro tantummodo aliena. In jejuniis & orationibus & vigiliis possunt nobis æquari sæculares: quos quia in abdicatione proprietatis & obedientia præcellimus, eos judicaturi cum Christo in extremo judicio præcedemus. Vnde summopere cavendum est, ne in his duobus etiam in minimo claudicemus. *In quibus præcellimus homines sæculares. Mat: 19.*

# CAPVT VII.

## OBEDIENTIA SIT VOluntaria sine contradictione.

VOluntaria quoque sit Obedientia, quæ non virga vel calcaribus indigeat, sed moveatur sibilo dulciori. Multum enim laudabilis est obedientia, quæ præceptum servat, laudabilior quæ consilijs & admonitiónibus obtemperat, sed omni laude dignissima quæ præcipientis animo se conformat. Sed sunt nonnulli, qui potiùs à maioribus sua volunt audire placita, ut placeant audita: qui Prælatum sibi, non se illi cupiunt obaudire. Isti non magistrum gentium dicentē: *Domine quid me vis facere*, sed cæcum cui dixit Dominus, *Quid vis vt faciam tibi*, satagunt imitari. Patet esse, fratres mei, duplicem obedientiam: aliam quidem necessitatis, & aliam charitatis. Illa

*Actor: 9.*

*Duplex Obedientia necessitatis & charitatis.*

præ-

præceptum respicit, hæc consilijs & admonitionibus acquiescit. Illa necessitate quadã arctatur, hæc charitatis amplitudine dilatatur. Illa per coactionem est servorum, hæc per libertatem spiritus, filiorum. Et istam utique tanto magis acceptam, quanto minus debitam esse constat.

## CAPVT VIII.

### OBEDIENTIA SIT SIMplex, *sine discussione.*

IAm simplex sit etiam Obedientia vestra, fratres, ut iniuncta sine discussione facientes, judicetis de vestro nec nimium vos habere. Nam quisquis intentionem præcipientis judicat, bellum intrinsecus parat, Per hoc enim quòd causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in laberinthum erroneum se ponit. Certè per hoc, Obedientiæ bonum minùs purum efficitur, cùm quis Prælatum

tum irrationabilia jubere præsumptionis oculo intuetur. Veruntamen etsi Prælatus interdum minùs utilia nostro judicio jubet, movere nos ad inobedientiam id non debet. Nam & ille si erraverit sic jubendo, nequaquam vos deviabitis seniorum mandatum (nisi contra Deum quid præcipiat) exequendo. Si enim quæ per obedientiam facitis non sunt utilia monasterijs, tamen semper utilia erunt vobis. Quid enim profuit, quòd quidam Patrum virgam aridam longo tempore jussus rigavit, nisi quòd in terra conualescens, virtutem Obedientiæ, & obedientis meritum demonstravit? Obedientiæ sanè vestigium in hoc est ut quasi stultum se quis faciat in hoc mundo, nihil discernens, nihil dijudicans ex his quæ fuerint imperata, sed cum omni simplicitate & fide illud utile, illud sapiēs esse iudicans, quod sibi lex Dei vel

*Hier: in Vitis PP.*

*Illustre exemplum Obediētiæ*

exa-

examen Superioris indixerit. Et verè si per hunc modum evacuati fuerimus spiritu proprio, replebimur non immerito tunc divino. Attendite quod in tantum omnis creatura suo obedit Creatori sine discussione ut de illo faciat quidquid placuerit suæ maiestati. Per quod manifestè instruimur, ut simpliciter jussa facientes, nequaquam Superioribus nostris per inobedientiam reluctemur.

## CAPVT IX.

### OBEDIENTIA SIT *ordinata.*

OPortet nihilominus ordinatam esse obedientiam, ne si ordo eius perverteretur obedientiæ quoque opus per consequens depravaretur. Vnde considerandum est, quod sicut ratio nostra debet subdita esse Creatori, sic voluntas obediat rationi, at-

que

que sensualitas voluntati. Nam quando recalcitrat voluntati sensualitas, vel rationi voluntas, aut Creatori ratio; debitæ subiectionis in anima perit ordo, & tunc iusto iudicio nobis ab inferiori nostro resistitur, cùm à nobis nostris Superioribus non paretur. Ordo quoque obedientiæ, considerata Prælatorum differentia tenendus est, ut maiores minoribus præferantur. Duobus enim Prælatis contraria præcipientibus, acquiescendum modis omnibus est maiori. Vnde cùm Deus supremus Prælatus sit, contemnenda sunt prorsus mandata hominum; quando quicquam præcipitur contra Deum. *Oportet enim*, (ut ait B. Petrus) *Deo magis obedire quam hominibus.* Patet igitur quòd nunquam sunt mala propter obedientiam perpetranda, licet propter eandem interdum bona sint rationabiliter omittenda.

*Deo semper præomnibus obediendũ. Act. 5*

da. Scitis enim contemplativam vitam in multis activam præcellere & tamen cùm ab illa ad iſtam ſubditus trahitur, quod propter mandatum negligitur, virtute obedientiæ meritorum cumulo compenſatur.

## CAPVT X.

### OBEDIENTIA SIT IVcunda ſine turbatione.

POſt hoc ſciendum eſt, quòd nequaquam ex triſtitia aut neceſſitate ſit quod iniungitur faciendum. Iucunda enim Obedientia Prælatum ipſum iubentem lætificat, Obedientiæ laborem alleviat, ſecuritatem quoque conſcientiæ præſtat. Si quis autem mæſtus obtemperat, cum Simeone Cyræneo crucem in angariam portat. Currus non inunctus ſub onere murmurat, & is qui cum triſtitia Obedientiam exequitur, carere unctione S. Spiritus

*2. Cor. 9. Læta Obedientia.*

*Mat. 27. Simile.*

tus

ritus se declarat: at non gaudens cum Andrea crucem suscipit, quisquis onus quod imponitur corde renuit, vel signo quolibet contradicit. Sunt autem quidam qui ex desiderio etiam suscipiunt laboriosa, dummodo sint placita. Alij cum grauitate etiam facilia suscipiunt, quia iussa sunt. Istud fieri persuasione diaboli certum est, ut hoc nobis grave faciat, in quo nobis maius meritum esse constat: & aliud nobis offerre satagit gaudiosum, quod saluti nostræ minùs prospicit fructuosum.

## CAPVT XI.

### OBEDIENTIA DEBET *esse sine pusillanimitate.*

NOn enim levia sed ardua propter Obedientiam sunt agenda. Est enim obedientia pretiosa cùm obtemperatur in placitis, non tamen quia placita sed quia iniuncta. Pretiosior verò super

ſuper aurum & topazion, cùm obeditur in contrarijs: in quibus licet interdum ſenſualitas remurmuret, erit tamen ratio ſemper prompta exemplo Chriſti, qui quamquam calicem paſſionis à ſe transferri peteret, voluntatem tamen ſuam Patris ſubiecit voluntati. In obedientia, fratres mei, multum valet ad efficaciam merendi, difficultas operis cum prõptitudine voluntatis. Quando per clauſtralem vitam religioni iungimur, mundo morimur, & terrenis actibus quodammodo ſepelimur. Quare noſtras per obedientiam voluntates quotidie mortificemus, ut illi qui pro nobis pretioſum ſanguinem ſuum fudit, ſemper vivere valeamus. Nunquam igitur ad iuſſum ſermonis reſpondere præſumatis *Non poſſumus*, aut *Neſcimus*: cùm pares imò etiam infirmiores vobis aggreſſos per obedientiæ bonum

*In arduis & contrarijs obedientia præſtantior mágiſque meritoria Mat. 26.*

*In Voluntariorum verbũ excuſationis*

num etiam impossibilia secundùm humanum iudicium cognoscamus. Vires enim administrat omnipotens Deus corpori, ubi voluntas fervens ad id quod iniungitur adest menti. Vnde quidam sanctorum Patrum mandato seniorum obtemperans, supra spem virtute divina non propria saxum movit. Ex his colligere poteritis, quòd obedientiæ discretio est, vt sit aliqualiter indiscreta, ut ea pro bono quis aggrediatur obedientiæ, quæ interdum videntur carere secundùm Dei sapientiam ratione. Hinc est quòd *vir obediens loquitur victorias*, quia voluntatem quæ se naturaliter inclinat ad prospera, per coactionem obedientiæ curvat etiam in adversa.

*Exemplũ ex Vitis Patrum.*

*Prov. 21.*

## CAPVT XII.

### *OBEDIENTIA SIT SINE exceptione.*

Nec

NEc semel tantùm debet quisque facere quod iubetur, sed semper & in omnibus obedire. Sed dicunt in corde suo desides & rebelles, Videmus quòd hi qui ad obedientiam sunt difficiles, ab oneribus sunt liberi, ab officijs sunt securi, Ipsis enim ubique defertur & parcitur, cùm illi qui per omnia parentes se exhibent, nunc officijs, nunc laboribus incessabiliter onerentur. Quis ergo posset omnia, inquiunt, quæ mandantur custodire? Sane si cordis oculum aperimus, apertè considerare possumus, quòd illis pro eo quòd eis parcitur est dolendum, & istis quia sibi non parcitur est gaudendum. Quòd enim interdum parcitur rebellibus, vitio suo deputent, non virtuti. Fit namque istud, ne peior scissura fiat, & concutiatur calamus; cùm quassatur. Sed Deus non præcepit dari libellum repu-

*Involuntariorum excusatio* (margin note, beside "de-", "sides" and "hi qui" lines)

*Mat: 19.* (margin note, beside "mus; cùm quassatur. Sed Deus")

Ia: 4 2. Deut. 24 Marc: 10 dij, sed permisit. Exultent autem isti qui oneribus prægravantur; quia dum multiplicantur super eos onera multiplicatur & materia gaudiorum, & gaudium per consequens præmiorum. Ocium insuper eisdem tollitur, peccatorum pœna minuitur, & tentationum occasio removetur. Sciendum tamen, quòd licet omnes homines Obedientia stringantur aliquali, huic tamen propter Votum Regulares sunt ampliùs obligati. Nam Patrifamilias obediendum est in bona domus suæ ordinatione, Regibus in reipublicæ gubernatione, Plebanis in divinorum præceptorum expositione, & Sacramentorum administratione, Prælatis Ordinum in disciplinæ observatione, Summo Prælato Deo in declinâtione vitiorum & custodia mandatorum. Vos ergo, fratres, qui ad obedientiam vos ligastis spiritualiter nec ali-

*Omnes quodam modo tenentur obedire sed magis Religiosi.*

aliquid excepiſtis, exemplum Pſalmiſtæ ſequamini, dicentis. *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Pſal: 118.

# CAPVT XIII.

## OBEDIENTIA SIT *perſeverans*

VEſtra ſit denique obedientia perſeverans. Cùm enim profeſſionem facitis, uſque ad mortem vos obedituros in poſterum obligatis. Quia ergo exitus, & non principium acta probat, felici iucunditate perpetuò coronandus, uſque in finem obedientiam non relinqvat. Qui ergo placet ut ſibi veritas promiſſa ſolvat, ipſe quoq; quæ promiſit finaliter non omittat. *Qui enim* (ſecundùm Chriſti ſententiam) *perſeveraverit uſque in finem*, hic certiſſimè ſalvus erit. à memoria quoque veſtra non excidat quod qui in vno præcepto ſenioris offendit præcedentes obſervantias omnes perdit. Mat: 10. & 24. Iacob: 2.

Ca-

## CAPVT XIV.

### DE VOTO PAVPERTA-tis & abdicatione Proprietatis,

AD aliam observantiam regularem manum mittimus, ut qualiter sine proprio debeatis vivere doceamus. Igitur ex Ecclesiæ primitivæ perfectione discere poteritis, quòd habere cuncta communia debeatis. Creaturæ idipsum nobis indicant quæ communicando quod habent, invicem se se donant. Mutuò quoque sibi serviunt membra corporis, communitatem rerum per hoc indicentia nobis.

*Erant illis omnia cō-munia. Act. 4.*

## CAPVT XV.

### COMMENDATIO VO-luntariæ Paupertatis.

ABdicationem rerum Christus suo exemplo nos docuit, Beatus Pater Dominicus nobi

mori-

moriens legavit; Scriptura quoque ſacra figuris idem multiplicibus demonſtrauit. Nam crucifigendus Chriſtus veſtibus ſuis ſpoliatur, per quod nobis, quâm nudos eſſe operteat omni proprietate, declaratur. Ipſe quoque non habuit ubi caput ſuum (ſicut aſſeruit) reclinaret. Sanctus etiam Dominicus legavit nobis migrans ad Dominum humilitatem, charitatem, & voluntariam paupertatem. Idipſum exemplo ſuo tradidit idem Pater, qui pauper erat pecunia, ſed dives erat vita pura. Denique legitur, quod mulieris amictæ ſole pedibus luna ſupponitur, per quod calcanda nobis eſſe cuncta mutabilia demonſtratur.

*Luc. 9.*

*Tria nobis à B. P. noſtro Domino moriente ſingulariter cõmendata*

*Apoc. 12.*

## CAPVT XVI.

### *ABDICATIO PROPRIEtatis modis multis viciatur.*

SEd heu ſunt aliqui qui bonum paupertatis viciant, nunc poſſidendi deſiderijs, nunc verbis inordinatè prolatis, nunc etiam factis in virtutis huius præiudicium demonſtratis. Nonnulli ſunt etenim, qui ad ea quæ profitendo contempſerant, accenſis appetitibus nunc anhelant, obliti quòd apud ponderatorem ſummum, ipſa perverſa voluntas, priùs etiam quàm ad actum prodeat, condemnatur. E contra quia quidam Patrum rapere cucumerem concupivit, in ſole acriter ſe afflixit, vt vexatio talis intellectum ſibi tribueret, & ſic malum deſiderium in ſe temperaret. Hi verò qui divitias, quas foris habere non poterant, nunc affectant ſi veri diſcipuli Christi eſſent, *per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam*, exonerati ab omni impedimento, intrare ſollicitè laborarent. Invenimus etiam interdum

In Vitis Patrum.

Matt 7.

dum, quosdam in quibusdam re- *Signa pro-* bus adeò delectari, ut nec ad con- *prietatis.* cedendum fratri petenti velint aliquatenus inclinari. Alij quaternos vel res alias nituntur è fratrum aspectu abscondere, ne possint petentibus non negare. Quibus potiùs contemnenda essent hæc transitoria, & fraternæ charitati omnia postponenda. Pudet autem dicere, quod nonnunquam pro vilissimis rebus accendimur: ut si quis vel digito contrectare præsumat, tam indignatione cordis contra ipsum, quàm verborum insolentia moveamur. Inveniuntur & alij, qui sic dicunt. Ni- *Nota.* si mihi detur licentia hoc vel illud habendi, nequaquam domum de talibus de cætero promovebo. Sunt & alij qui se tales exhibent, ut Prælatus eis quæ habent auferre non audeat, vel quòd ad tempus concedant iniungere non præsumat, & si abstulerit quic-

quam talium, turbationem concitant & tumultum. Sed quia per talem indignationem in prædictis rebus jus ſibi vendicant, proprietarios quodammodo ſe demonſtrant. Pro his enim nequaquam ſibi turbationem aſſumerent, niſi res illas pro quibus moventur ad ſe pertinere aliqualiter judicarent. Sunt etiam nonnulli, qui & denarios ſine licentia nec accipiunt nec expendunt; & tamen quia licentiam ſibi denegari nulla ratione volunt, ante Deum excuſabiles non exiſtunt. Alij dum dare vel accipere volunt quod deſiderant, inſidioſè Prælati ſui abſentiam expectant, ut à
Nota minore Prælato licentiam habere valeant, quam negandam à maiore credunt probabiliter aut formidant. Iſti quidem apud homines forinſecus excuſari poterunt, ſed apud Deum, cui omne cor patet, & omnis voluntas lo-

quitur, Perfectionis semitam dereliquunt. Quidam etiam comestibilia vel potabilia sibi missa, vel soli contendunt habere, vel de illis quodam modo quibus placet distribuere, nec fratres alios, secundum dispensationem eorum quorum inter est, participes volunt esse. Sicut & alij quibus auctoritas est credita, qui monasterij res vel indignis conferunt, aut incuratè perire sinunt, aut superfluè res expendunt, qui nonnunquam circa curam sui reperiuntur prodigi, sed quoad alios satis parci. Hi si certè adverterent, quòd eleemosynæ sunt pauperum quibus vivunt, eas cum magna timoris & reverentiæ providentia æqualiter dispensarent.

## CAPUT XVII.

### *VERÆ PAUPERTATIS amatores quales esse debeant.*

VEri autem paupertatis amores sine licentia nihil accipiant, nec dent, vel habeant, neque celent, vel mutuent, neque furentur. Quamvis enim necessaria nobis habere liceat in communi, nullus tamen quicquam habeat in speciali. Ecce Pater noster Augustinus tantæ paupertatis fuit, quòd testamentum nec moriens fecit ullum. Et sicut proprium non licet habere claustrali, sic & operari studeat in communi. Sciendum est autem, quòd Religiosis quædam postponenda sunt actu pariter & affectu; ut proprietas rerum qua se privaverunt. Quædam affectu sed non actu: ut interdum est per activam vitam dispensatio temporalium. Quædam actu sed non affectu, sicut pro bono Obedientiæ quandoque intermittitur contemplatio supernorum. Sed heu videmus multos bonum paupertatis appe-

*Signa Voluntariæ paupertatis.*

appetere, tamen ipſum cum defectu & penuria nolunt ſuſtinere. Apud omnipotentem verò Deum, tunc paupertas pretioſa redditur, cùm eam voluntas devota, cum difficultatis moleſtia comitatur. Sanè ad retinendam arreptæ nuditatis virtutem, ita voſmetipſos ab omni proprietate reddatis extraneos, ut tamquam peregrinos & nihil habentes, pijs monaſterij largitionibus, vos noveritis veſtiendos deinceps & alendos. Ex præmiſſis igitur colligite, ut poſſidendorum in vita præſenti, nihil inordinatè concupiſcatis, nihil inhoneſtè acquiratis, nec ſine licentia quicquam recipiatis vel detis, nec præter voluntatem Prælati aliquid habeatis, nec licentiam extorqueatis, nec contra fraternam charitatem quicquam teneatis, nec inutiliter expendatis.

# CAPVT XVIII.

## DETESTATIO PRO- prietatis.

OStendunt proprietarij se vacuos esse Dei gratia, qui contra professionem suam satagunt possidere aliena. Mala compensatio quæ bursam ditat, & animam Deo privat. In quantum enim religiosus arcam onerat rerum proprietate, in tantum conscientiam gravat egestate. In Dialogorum libro legimus, quendam religiosum paucos denarios abscondisse, cuius sepultura extra cœmiterium quidem facta maledictionem pro benedictione scitur habuisse, in qua fuit dictum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, positis denarijs apud ipsum. Tales si discedant inpænitentes, peiores sunt inferno, qui moriente Christo restituit aliena. Isti pro re transitoria pretiosum

*Exemplū ex D. Gregorio. Quam enorme delictū proprietatis in Religiosis.*

ſum pignus obligant, quia pro talibus animam ſuam damnant, & ſe gaudijs cæli privant. Vnde frater qui ſe & ſua, Chriſtum ſecuturus, reliquit, & de his ſe poſtmodum vitioſè intromittit: iſte talis ſe inſipientem oſtendit, quia molam aſinariam de collo amotam reſumit, & in ſpinas quas evalerat ſe proijcit, ac luto quo extractus fuerat ſe immergit. *Iſte velut canis revertitur ad vomitum, & retrò reſpiciens, mittendo manum ad aratrum*, perficit curuum ſulcum. Talis, inquam, ſi uxorem Loth in ſtatuam ſalis conversam attenderet, ad ea reſpicere quæ reliquit minimè feſtinaret. Minus enim ſapiens eſt, qui alijs divitias congregat, ſed de propria inopia nihil curat. Sic etiam qui contra profeſſionem ſuam res ſibi colligit, & per defectum ſpiritualium fame perit. Per hoc quoque quòd ſua pretioſiora ſeipſo æſti-

*2. Pet. 2.* *Luc. 9.* *Genes: 19.*

æſtimat, gradum & ordinem diligendorum aut negligit, aut ignorat. Iſte cùm ſit mundo mortuus, fame mori formidat; cùm de compedibus ſit ſolutus, iteratò ſe illaqueat; cum ſit in naui, haurit aquam ut ſe mergat; cùm ſit in aere ſal ſpargit, ne fructus gratiæ ſibi creſcat. Bene talis dici poteſt idololatra, quia fiduciam habet in pecunia, quæ earum rerum numero, qvæ perfectè iuvare nequeunt, eſt habenda. O quàm iniuſtè omnia hæc ponderat, qui poſtmodum pro paucis denarijs Chriſtum perdit. Imò talis interdum flagitium Iudæ ſuperat, quia iſte nonnunquam pro uno ſolido ſe damnat, ille autem venditurus Dominum, triginta eum denarijs æſtimabat. Naturæ ordinem hic pervertit, quia terram ſuper omnia diligit, quam inter elementa creator rerum infimam ordinavit. Tu igitur, frater, ſi currere ad cælum expe-

*Pulchra ſimilia ad oſtendendam inſipientiam & ineptia proprietariorum. Coloſ 3.*

expeditè satagis, nequaquam ad prementes sarcinas flectaris.

## CAPVT XIX.

## DE VTILITATE paupertatis.

SVfficiat autem vobis, fratres charissimi, paupertas: abominetur anima vestra transitorias substantias, quia Christo vobiscum manente divites nimis eritis nihil temporalium habentes, & sine illo pauperes eritis & egeni, cunctas etiam divitias mundi obtinentes. Ille ergo videtur vester thesaurus, qui solus desideria animæ replere poterit: & sine illo est vacua omnis creatura. Quare si paupertatem esuritis, si sititis, si nudi estis, si sustinetis incommoda, ille vobis solus sufficiat, cuius dulcedinis magnificentia, omnia mundi commoda propter se dimissa incomparabiliter recompensat. Attendite, fra- *Nota*

tres, quòd ſicut ſecurum pauper tranſitum per latrones facit, ſic & monachus nihil habens cùm decedit, diaboli ſecurus tranſit laqueos & evadit. Elementa levia ſurſum tendunt: ſic & fratres qui ſe omnibus perfectè mundant, liberè cælos petunt. Exemplum nobis horum eſt pauper Lazarus, qui fuit tandem miniſterio Angelico in ſinum Abrahæ deportatus.

*Luc. 16.*

## CAPVT XX.

### DE VOTO CASTITATIS.

*Encomia Caſtitatis*

AMplectenda eſt poſt hæc, velut vnum de principalibus Religionis, Caſtitas, quæ divinæ viſioni nos aptat, quæ naturam ſuperat, & Angelicis ſpiritibus nos conformat. Hæc eſt inquam, quæ fidelem animam ſponſam Chriſti efficit, & ſequẽtes agnum, canticum inſtruit, & Deo proximum facit. Talibus inhæreatis nuptijs, ubi theſaurus

eſt

est cordis munditia, amplexus gratia, proles opera bona, dos felicitas sempiterna. O quàm regales sunt illæ nuptiæ, ubi anima Christo per amorem iungitur, ubi læva eius imbecillitatem nostram adiuvans, non immeritò sub capite nostro ponitur, & dextera ipsius nos in præmio amplexatur. *Cant: 2.*

# CAPVT XXI.

## QVANTA SIT *Castitas.*

CAstitas vestimentum est nuptiale, quo decorantur virgines in convivio Regis summi. *2. Regum 10. & 11. Par: 19.* Hoc byssino indumento Religiosi qui spoliati fuerint, non parum confundentur: Videte quomodo confusi sint valde servi David, quibus vestes vsque ad nates proscindebantur; quia confusi nimis erunt apud Altissimum, qui nunc tegumenro continentiæ spoliantur. Omni laude di- *Ambr:*

gnum

gnum, in carne præter carnem vivere, & inter spinas esse, & spinarum aculeos non sentire. Salamandræ sunt tales similes, quæ in igne non comburitur, & pisci qui aqua circumdatur & non submergitur, & grano quod nec inter zizania suffocatur. Isti mira faciunt in hoc mundo, Maius enim miraculum est de propria carne fomitem extirpare libidinis, quàm eijcere dæmonia vel febres de corporibus alienis.

## CAPVT XXII.

### DE TRIBVS MODIS IN continentiæ.

TRibus modis incontinentes errant: dum vel cogitatione, vel delectatione, vel consensu circa idem vicium elaborant. Huius figuram nobis evidenter sacra Scriptura innuit, cùm in primorum parentum peccato, ser-
Gen. 3 pentem, mulierem atque virum

lit-

literaliter introducit. Sit itaque cor nostrum per castimoniam, thronus eburneus, sit lectus floridus, sit fons clarus, sit hortus conclusus, amœnus paradisus, arca intrinsecus deaurata, & virtutum delectabilis apotheca. Cant. 4.

# CAPVT XXIII.

## DE COGITATIONE mala.

PRimò igitur super corda vestra, fratres mei charissimi, Christum ponere sicut signaculum satagite, & ne vagetur ad inania prohibete. Cor enim ceræ simile dicitur, quæ per impressionem sigillo quolibet figuratur. Quare pulchris imaginibus mentes vestras imprimite, ac sic eas æterna gloria decorate. Studeamus igitur pigmenta bonarum cogitationum in ignem desideriorum nostrorum mittere, quò valeamus sancti amoris incenso

in conſpectu Altiſſimi redolere. Deſiderium enim noſtrum igni eſt, & ſecundùm materiam quam imponimus, vel fætorem vel boni odoris flagrantiam excitamus. Cor quoque noſtrum molæ currenti continuè comparatur: ſed vel lolium vel triticum comminuit, ſecundùm arbitrium imponentis. Faciamus igitur ut Salomon, qui aurea nerua ſupra templum poſuit ad innuendum, quòd quiſquis talia faciens ad reſiſtendum volatilibus cogitationibus ſe præmunivit. Sciat veſtra fraternitas, quòd cogitando quis perverſa, raptorem in theſaurum ſuum intromittit. Malum ſemen iactando nutrit, ſagittas diaboli abſque clypei oppoſitione recipit, incurvando ſe Sathanæ, Chriſtum de ſolio deijcit, porcos in hortum ſuum devaſtandum introducit, lutum in fonte conſcientiæ intromittit, flores relinquens

3. Reg. 4.

quens ad ſtercora ſe convertit.

## CAPUT XXIV.

## DE DELECTATIONE morosa.

QUaſi matrem proles, ſic malum delectatio ſequitur cogitatum. Quiſquis vitare voluerit conſequens malum, præcaveat antecedens; ſciens quòd delectationibus carnalibus qui mẽtem dederit, à ſupernis ſe influxibus elongat. Abſit enim ut divina conſolatio infundi debeat vaſi inquinato. Nam cor immundum ſedes eſt Sathanæ, cui non decet Chriſtum per gratiam conſedere. O quàm indigna commutatio, incommutabile bonum ſpernere & rebus mutabilibus adhærere; fontem dulcedinis relinquere, & turbato rivulo ſe replere. Igitur ſi de peccatis nos interdum cogitare cõtingat, non hoc ex delectatione, ſed amara compunctione

ctione fiat. Sicut Pater multarum gentium Abraham eversas urbes à longè conspexit, & Ieremias suæ civitatis excidium dolens planxit.

Gen. 19. In Threnis per totum.

# CAPVT XXV.

## DE CONSENSV COgitationis

CÆterum si contingit ut illicita cogitatio nos interdum mordeat, summopere laborandum, ut delectatio non decurrat. Cùm enim diabolus nos ad peccandum inclinare nititur, ad suum incuruare transitum nos hortatur. Sed mendax est & Pater mendacij, quia minimè permissus transilit: quin potiùs si advenerit in consensu nostro pedem figit. Considerandum tamen est, duplicem esse consensum qui nos maculat: dum vel malum decernimus, vel cùm non in opus, sed in delectatione motuum consentimus. Quando enim delectatio

Ioan. 8.

cogi-

cogitationis usque ad voluntatem delectandi protrahitur, tunc morosa & rea criminis etiam absque perpetratione operis iudicatur. Et si taliter delectantes se, apud Omnipotentem rei sunt, videant quo reatu constringantur, qui tentationes prævenientes, ad illicita se compellunt.

## CAPVT XXVI.

### QVALES DEBENT *esse continentes.*

STudeamus ergo, fratres, corporis habere continentiam, atque mentis: quæ nobis per *cinctionem lumborum atque mamillarum cum zona aurea* declaratur. Si verò tentatio carnis vel dæmonis ad illicita nos incitat, mente tamen stantem fortiter, hoc non frangat. Sed multum interest habere virtutes politicas vel purgatorias, aut purgati animi, quia tanto sunt extremæ prioribus melio- Luc: 12. Apoc: 1

liores, quanto iam post triumphum quietem sinceræ possidet puritatis. Quamvis enim laudis plenum sit, delectationibus carnis resistere, multo tamen laudabilius est tentationum incitamenta non sentire. Nam dum obtinet in bellorum conflictibus quis triumphum, tum vulnerum icta interdum recipit & plagarum. Motus etiam quem cum labore quis pugnæ comprimit, quando se pacem habere speraverit, tunc insurgit. Nequaquam enim dimicans securus ab hoste esse poterit, quem post victoriam inter sos dominantem terminos dere-
2. Reg. 11 linquit Securior David erat postquam à prælijs subiectis hostibus quieverat, quàm cùm bellorum discriminibus subiacebat.
Gen. 8. Status ille tranquillus in arca Noe designatur, in qua cuncta quietantur animalia, & pacantur. Ad pacem hanc laudabilem tunc venimus,

nimus, quando contra vitia insurgentia non quasi ex necessitate pugnare compellimur, sed ea potiùs cùm se primò oculis rationis obtulerint velut columbrum horrore nimio detestamur. Ecc: 22.

## CAPVT XXVII.

### DE CIRCVMSTANTIIS Luxuriæ

NOn solùm opus Luxuriæ nefarium, sed ad illud incitantes circumstantiæ sunt vitandæ, quales sunt, incautus visus, tactvs, osculum, amplexus, frequēs colloquium, atque risus.

## CAPVT XXVIII.

### DE VISV INCAVTO

ETenim quia *mors per fenestras nostras ingreditur*, necesse est Iere: 9. ut visus ipse cum magna diligētia observetur: ne dum incautè inclinantia affectum respicimus, divi-

divitias intrinsecus amittamus
2. Reg: 11 Certè si David visum ab inca
to intuitu restrinxisset, in tant
tentationis malum minimé rec
Gen: 34. dissset, Pudicitiam quoque Din
perdidit, quæ ad videndum muli
eres regionis circuiens, in sui
custodia non conclusit. Ad con
Mar: 14. tegendum visum nostrum exem
plum Salvator nobis tradidit, q
nec proprios velari oculos in de
Mat: 5. risionem recusavit. Quocirc
scandalizantem oculum, secun
dùm Domini consilium, eruamu
& visum videlicet, ne vanitate
hauriat, avertere studeamus.

## CAPVT XXIX.

### DE CONTACTV

#### Cavendo.

CAvendi sunt præterea cont
ctus non solùm lascivarum
Simile. sed etiam bonarum fæminarum
Quamvis enim bona si terra
bona quoque sit pluvia, tamen
ex

ex illorum commixtione lutum efficitur. Eodem modo licet bona ſit manus viri, & bona manus fœminæ, ex contactu tamen illarum nonnunquam lutoſa cogitatio vel affectio generatur. Etenim picem ſi quis tetigerit, manum utique ſordidabit. Quis autem ſtultus credit ſe manum in ignem mittere, & incendium non ſentire? Vnde quidam Sanctus, quando per aquam Matrē propriam deportabat, manum pallio ne illam tangeret involuebat.

## CAPVT XXX.

### DE AMPLEXIBVS & oſculis.

SI ergo ſecundum dictum Apoſtoli, *bonum eſt mulierem non tangere*; nequaquam illam expedit oſculari. Concupiſcentia tamen quoſdam falsò ſic decipit, & excæcat, vt dicant talia licere; 1. Cor. 7.

cùm

cùm secundùm eundem Apostolum 1. Cor: 16 constet sanctum osculum induxisse. O quàm miserabiliter perit judicium rationis, cùm affectus ad aliquid faciendum incipit dominari. Format enim mês captiua qualemcunque conscientiam, dum tamen perficiat quod affectat; ipsa verò conscientia post facti perpetrationem, amaris stimulis mentem pungit, quæ ad unam partem devians, veritatis semitas derelinquit. Amplexus quoque mortales non desiderant, qui ad æternas nuptias se parant. Ornatos namque lampadibus munditiæ, & oleo lætitiæ decet esse, qui superni sponsi amplexibus cupiunt interesse.

## CAPVT XXXI.

### DE REMEDIIS CONtra luxuriam.

DE remedijs sanè luxuriæ sunt familiaritates suspectas deuitare,

uitare, sibi non nimis cõfidere, occasiones tentationum fugere, sensus exteriores claudere, cogitationes malas restringere, carnem domare, motibus insurgentibus resistere, bonis se semper exercitijs occupare. Quem enim antiquus hostis vacantẽ viderit, hunc suis negotijs occupabit. Sciendum denique est, quòd nobis contra alia vitia pugnandum est, sed incontinentiæ malum potissimè fugiendum. Quoniam sicut infirmus per potum frigidæ aquæ ardorem febrium non minuit, sed accendit; sic remedia concupiscentiæ quærens, in his miserijs, desiderium non satiat nec extinguit. *Simile.*

## CAPVT XXXII.

### DE RESISTENTIIS
*luxuriæ*

OMni custodia necessarium est cor custodire, quia constat illud multipliciter impugnari. *Prov. 4.*

In resistendo quoque necesse est nobis, ut ibi simus in nostra custodia cautiores, ubi pugnas experimur hostium fortiores. Nam & diabolus ibi ponit frequentiùs tentationum laqueos, ubi magis sentit nos incautos: & ibi nos studet fortiùs debellare, vbi nos novit ampliùs ægrotare. Pax & concordia cunctis est laudabilis, nisi contra vitia pugnaturis.

Cant: 4. Quod optimè innuitur, ubi turris David ædificata cum propu-

Cant: gnaculis, decorata fuisse mille clypeis omnique armatura fortium memoratur. Vnde & antiquis populis propter exercitium præliandi Iebusæus relinquitur, & Machabæis licentia pugnandi in sabbatis conceditur, ut quàm

Ex Vitis Patrum. gratum sit Deo bellum, quod fit contra vitia declaretur. Fratrem illum diligenter recogitate quem vidit senior per diversarum specierum coram se formatas imagi-

nes impugnari: quas quia per negligentiam non repulit, cordis sui pulchritudinem in conſpectu Dei omnia cernentis maculavit. Sed è contrariò benè ſibi frater ille tentatus conſuluit, qui ut magis obliviſceretur talium, mulierem ſibi luteam figuravit. Ad innuendam cuſtodiam cordis noſtri, Cherubin flammeo gladio ad viam ponitur Paradiſi. Studeamus autem maximè caput ſerpentis conterere, hoc eſt, tentationum principijs reſiſtere; ut ſic hoſtem dum eſt debilis opprimamus, & nequitiam in ſemine deſtruamus, atque ad petram Chriſtum noſtros parvulos allidamus. Etſi adverſarius noſter ſæpiùs tentationibus nos examinat, ipſa frequentia nos tædio non afficiat, ne ſimus ſicut lapides, quos ſtillæ cadentes non violentia, ſed numero tandem cavant, iuxta illud *Gutta cavat lapidem, non vi ſed ſæ-* Gen: 3.

Ex Vitis Patrum pè cadendo: Liquet hoc in patre quodam, qui annis 40. tentatus, fortis athela Christi, perstitit, sed postmodum vnius noctis spatio victus cessit.

## CAPVT XXXIII.

### DE HVMILITATE

MAtrem virtutum humilitatem, fratres charissimi, libenter amplectamur, quam & Christus verbo docuit, & exemplo nihilominus demonstravit. Qui etiam se mitem & humilem corde dixit. nos ad imitationem sui provocans: Matth 11. *Discite* (inquit) *à me quia mitis sum & humilis corde*. Scitis & de quodam Exemplũ ex Vitis Patrum. apud antiquos patres recipiendo, ad mortuorum ossa misso, ut illis exhiberet ignominiam & honorẽ: qvatenus sicut hæc ossa ad vtrumlibet ac insensibilia se habere cerneret, sic & ipse laudes & vituperia de cætero non curaret.

Ca-

# CAPVT XXXIV.

## DE ILLIS PER QVÆ Humilitas acquiritur.

AD perfectam humilitatem istis gradibus venietis. Si videlicet defectus vestros cum dolore ac emendationis proposito recolitis, si propriam excellentiam ex corde fugitis, si vos contemnitis, si vos verè mundo mortuos æstimatis, si nulli nisi soli Deo placere appetatis, nec ulli displicere nisi Domino timeatis: si humana præsentia nihil vobis adijciat honestatis, aut minuat solitudo: si vos inutiles non superficie labiorum pronuntietis, sed veraciter reputetis: si desideretis viles videri; si omne quod est contra communem Regulam & constitutionem Ordinis, quod potest vos notabiles reddere, declinetis; si singularem sensum relinquatis, si vosipsos in vestris

*Varij sũt gradus humilitatis.*

vestris conscientijs accusatis, & alios excusatis.

# CAPVT XXXV.

## DE SIGNIS HVMI-litatis,

Signa humilitatis sunt, gratiam hominum negligere, sententijs aliorum acquiescere, correptiones libenter audire, caput inclinare, vestes notabiles non ferre, risum temperare, post repulsam verba non proferre, tortuosum incessum vitare, maiorum præcepta sine discussione perficere, æqualibus ad obsequia paratum esse, minores non contemnere, simplici gradi via, numquam duplicitatis aut fictionis vestigium prætendere, in litibus nolle victoriam obtinere.

# CAPVT XXXVI.

## DE LAVDIBVS HV-militatis.

VT humilitatis fructum agnoscatis, noveritis, quia cinis est, virtutum carbones in fervore conservans; fundamentum, spirituale ædificium, ne cadat, sustentans; & scala ad cælestia nos sublevans. Ipsa enim humilitas virtutes cæteras conservat, capiti nostro assimilat, actiones sua pulchritudine ornat. Hæc est quæ Deo amabilis, in se ipsa est laudabilis, multipliciter nobis utilis, & proximis exemplaris. Humilitas certè virtus est, quæ obtinet absentia, stabilit præsentia, recuperat iam amissa. *Humilitatis encomia.*

## CAPVT XXXVII.

### QVANTOPERE HVmilitas expetenda.

SI quis ergo perfectè humilis esse nititur, velut surdum, & cæcum, imò quasi stultum exhibere etiam ex intimis se conetur: ut videlicet nil audi-

audire, nil loqui, nil videre cupiat, quod ipsum à proposito suo retrahat, & à bono; propter derisionem aliquatenus non recedat. Humilitatem quoque perfectus quisque teneat sine fictione, ut sicut illam forinsecus exhibet in opere, sic non deserat eam in corde. Non sitis illi qui humilitatem quidem diligunt, sed contemni nolunt: quia tales si humilitatem verè noscerent, nequaquam in contemptu propriæ excellentiæ consistere dubitarent. In vestimentis servetis tale medium, ut nec curiositate aut preciositate sint notabilia, nec vilitate nimia deturpata. Superbia enim nonnunquam de suo interitu convalescit. Dum enim abijcere quis se nititur, de hoc multoties ipse inaniter gloriatur. Eodem modo cùm quis ieiunauerit pro Christo, sæpe vana gloria per hoc surgit. *Ex Vitis Patrum.* Vnde cùm quidam frater quære-

ret, cur magis in congregatione quàm in solitudine ieiunare posset, responsum est ei, quia digitus eum in monasterio pasceret, sed in solitudine nullus ieiunij testis esset.

## CAPVT XXXVIII.

## DE NOCVMENTO *superbiæ.*

NOcumentum ergo superbiæ in hoc perpendatur; quòd duo sint in operibus bonis, gloria videlicet & utilitas: quorum primum sibi Deus reservavit, sed reliqvum nobis dedit. Vnde si Dei partem nobis retinere contenderimus, absque dubio partem alteram amittemus. Sicut enim ventus pulverem proijcit, sic vanitas virtutes dissipat & dispergit. Hoc enim certissimè sciendum est, quod nunquam obedientiæ bonum, nec patientiæ virtus, nec perfectionis puritas

obtinebitur, si humilitatis sinceritas amittatur.

## CAPVT XXXIX.

### DE CONSERVATIONE humilitatis.

SI ergo humilitatem diligitis, per hæc quæ scripsimus illam conserveris: si videlicet in vobis pensaveritis, facilitatem cadendi, difficultatem resurgendi, incertitudinem perseverandi: si cogitationem habere studueritis propriæ fragilitatis & considerationem fratris alterius melioris; si sæpiùs cogitaveritis mortem imminentem, si nihilominus ipsum Deum vsque ad mortem turpissimam humiliatum pensaveritis, si gloriam & honorem qui sequetur ignominiam, ponderatis.

## CAPVT XL.

### DE PATIENTIA

Deni-

DEnique, fratres mei, virtutum clypeum, patientiam, apprehendite: quæ in sanctis Dei mirabiliter operatur Facit enim ipsa patientia, nonnunquam vincere puellam fragilem totum mundum: imò sine pugna vincit adversarium, & amaris pascitur, & contrarijs delectatur. Apostoli certè se dignos habitos gaudentes iudicabant, quia pro Christi nomine contumelias sustinebant, Si benè consideramus, *non sunt condignæ passiones huius temporis* quas sustinemus, ad magnitudinem passionum Christi nostrorumque delictorum, & infernalium suppliciorum, atque cælestium præmiorum. Proinde lætati sunt patres nostri pro diebus quibus humiliavit eos Dominus, annis quibus viderunt mala, sicut apertè nobis beatus Pater Dominicus ostendit, qui loca insidiarum transiens, incessit alacer,

*Act. 5.*
*Rom: 8.*
*Psal: 86.*
*Exemplū S. Dominici.*

atque cantavit Idem quoque Pater fuit Carthasonæ libentiùs quàm Tolosæ, quia ibi recepit molestias, hic honores. Exemplum nobis patientiæ exhibuit

Iob. 3. qui dicebat: *Nonne dissimulavi, nonne silui, & iam quievi?* Dissimulavit quidem foris per opera, ut patientiæ signum ostenderet. Tacuit à verbis inordinatis, ne vel ore dura verba proferret. Quievit & corde, ne vel ipsum intrinsecus turbaret.

# CAPVT XLI.

## DE LAVDIBVS PAtientiæ.

*Encomia patientiæ.* PAtientia est Adamas quo mens incommodis non frangitur, medicina per quam ab omni læsione curatur, & clypeus quo ne lædi valeat communitur. Ab alio certè lædi non poterimus; nisi priùs contra nosipsos intrinsecus dimicemus. Tribulationis

nis fructum ille novit, qui pretium iniuriantibus erogavit. Hunc fructum sacra Scriptura innuit, Dan: 3. ubi tribus pueris ignis in nullo nocuit, sed vincula tantum solvit, idem ostendit artificium, quia lapis ad hoc tunditur & sculpitur, ut in solemni loco postmodum collocetur. Sic & nos in mundo nunc premimur, ut in templo cælestis patriæ, ubi nullus sonat malleus, collocemur. Nam gaudium tristitia præcedit, qua vel pro exigentia culpæ, vel perfectione gratiæ, vel pro augmento gloriæ, nunc ferimur. O labor, ô dolor, ô beatæ lachrimæ, quas ab afflictorum oculis Dominica manus terget. *Cælorum regnum eorum esse dicitur, qui persecutionem patiuntur.* Matt 5. In qua duo sunt; scilicet culpa & pœna. Meliorem partem habet patiens quam persequens: cùm culpa sit lædentis, sed pœna tantummodo sustinentis.

tis. Puritatem enim in nobis suæ
Hebr. 12. dilectionis Deus ex hoc probat, quòd eos quos *amat, arguit & castigat.*
Apoc. 3. Hinc est quòd in signum clementiæ ab Assuero *contra Hester virga aurea extenditur*:
Hest. 4 & 5. quo nos consolandos esse virga correptionis Dominicæ figuratur. Si enim suis dilectoribus temporaliter benefaceret; plures sibi non pro se, sed pro donis potiùs adhærerent.
Iudic. 3. Fuerunt qui velut dextera utebantur, similiter & sinistra, de quibus quid aliud dixerim, nisi quòd sicut ad meritum vitæ convertebant prospera, sic adversa. Imò ut veriùs dicam, talibus nihil adversum esse poterit, pro quibus adversitas ipsa militans cumulat semper meritum, & in gaudium tandem ducit. Patet igitur quòd de felle homo favum elicit, cùm malum in bonum convertit. Mare quasi lac sugit, quia mœrorem in æternæ felicitatis gaudium com-

commutabit. Vſque ad tempus enim expectabit patiens, ut poſtea iucunditatis redditio ſubſequatur. *Certè peccantes ad refrigerium venire non poterimus; niſi vel hinc per aquam tribulationis, vel tandem per ignem purgatorij tranſeamus.* Facilior enim eſt tranſitus aquæ quàm ignis. Si adverſitatum vtilitatem ſciremus, vix in centum annis poſſemus Domino pro infirmitatis diei beneficio reſpondere. Nota

Vnde in vitis SS. Patrum ſapienter ille bonus frater doluit, plorans quòd non eum Dominus anno illo per infirmitatis moleſtias viſitavit.

## CAPVT XLII.

## QVÆ VERA PATIENTIA

VElimus igitur, fratres mei bona agere, mala pati. Et ſi cordis cupimns tranquillitatem habere, debemus non quod nobis

bis fit, ſed quod alijs irrogamus ponderare, ferre libentiùs iniurias, quam inferre, flagella Dei ſine murmure, ac iniurias proximi ſine rancoris odio ſuſtinere, iram fratris ſtudioſè velle curare, quam illum contra nos ſen-
1. Reg. 16 timus (qvamvis irrationabiliter) concepiſſe. Exemplum de hoc ſumamus in Dauid, qui quando citharam pſallendo tetigit, in Saule malum ſpiritum mitigavit. Si pœnam ex culpa meremur, doleamus, ſi autem innocenter patimur, gaudeamus: quia iucundius eſt cum Chriſto ſuſtinere moleſtias, quam cum latrone: multo que maioris gloriæ pro divina laude, quam pro meritis mala ferre. Sunt ergo agendæ gratiæ pro proſperis & adverſis; ſicut non ſolum cantat diebus, ſed & noctibus philomela. Sine querela tam activè quàm paſſivè vos ſervetis, fratres chariſſimi; ut nec que-

querelas moveatis de alijs, nec de vobis tribuatis unquam materiam querulandi De nullo gaudeatis, nisi quod pro Christo militat; nec de aliquo doleatis, nisi quod à Conditoris gratia vos elongat. Nam impatientia contra peccatum tantummodo est indulta. Hæc enim, dilectissimi, tyronum Christi victoria est, vt cedant lædenti, & indulgeant persequenti. Sitis ergo fratres, velut radices, quæ contritæ magis fragrant: sicut aurum quod fornax non consumit, sed examinat. Sitis granvm quod à palea flagellum separat. Sitis navis, quam ventus non impedit, sed ad littus agitat. Sitis gemma quam sculptura non destruit, sed decorat. Ad perfectam igitur patientiam venire cupientes, gradibus his vtamur, ut videlicet malum pro malo nunquam reddamus, malo non resistamus, malum toleremus, injurian-

*Similia*

*Gradus patientiæ*

riantem placemus, inimicum diligamus, bonum pro malo reddamus, gaudenter iniurias suscipiamus, ad plus sustinendum parati simus, in tribulatione Deo gratias referamus, adversitates pro Domino affectemus. Maximè autem valet ad sustinendum convitia, si ad responsionem talionis non simus faciles, sed immobiles velut muti, quasi qui hoc non audierint vel adverterint sicut surdi.

## CAPVT XLIII.

### DE MALIS IMpatientiæ.

MVlta mala impatientia operatur. Hominis etenim oculum cæcat, sancti Spiritus donum turbat, ac pacis dulcedine privat. Hæc draconi comparatur: quia sicut ille ignem vomit, sic importunus homo impatientiæ verba fundit. Ira enim febribus similis est, quia non solùm

*Febris est animæ ira.*

lùm animus ſed & corpus per eam inordinatis motibus commovetur. Imò dico iram febribus peiorem; quia cùm per febres ſemel homo vexetur per diem; per iram ſæpè vno die multoties agitatur. Cùm autem tribulatio ſit quædam raſura, quiſquis per hunc modum tribulatus quietus ſedeat, ne ſi ſub raſorio inſolenter ſe moverit, peius malum per impatientiam ſic incurrat. Quando ergo de detrahente ſe quis vendicaverit, plus amittit, quia tribuit tunicam innocentiæ tollenti pallium bonæ famæ. Si quis verò à Deo vindictam poſcit, ipſum Deum quemdam tortorem, & ſe iudicem facit. Quid de ira dicam? per ipſam ſubinde cor palpitat accenſum, os clamorem format, ſenſus quod loquitur ignorat, excæcantur oculi, non cognoſcuntur noti: per ipſam facies igneſcit, lingua percutit, corpus tremit.

*Simile.*

*Ira ſibi nocet.*

# CAPVT XLIV.

## DIVERSI GENERIS patientiæ.

SVnt autem nonnulli, qui patientiam non ex proprijs, sed ex virtutibus concipiunt alienis: qui volunt esse tunc tantummodo patientes, cùm non fuerint ab alijs irritati. Sunt & alij qui foris iniurias dissimulant, rancorem tamen in interioribus servant. Horum patientia est sicut calceus non inunctus, qui ab exteriori quidem læsione defendit, sed intrinsecus pedem rumpit. Isti sunt lupis similes, qui plagas in pelle foris benè sustinēt & vulnera, sed corruptionis recipiunt faciliter in interioribus detrimenta, Sunt item alij qui proprias iniurias studiosè vindicant, sed iniurias Dei minùs persequi curant, non advertentes aliam per zelum, aliam per vitium iram

iram esse. Prima contra iniu iam Dei, secunda contra iniuriam propriam, commovetur. Et illa est gratiæ ista culpæ. Cumulat illa præmium, ista pœnam. Sed cavendum valde est, ne in tantum animus per iram turbetur, ut quod vitio furoris agitur, fieri per zelum rectitudinis æstimetur. Interdum enim vitia sub virtutibus se palliant; & actus qui possunt fieri meritorij, redduntur noxij ac depravati. Sic fit nonnunquam, ut in correctione fraterna ita ira charitatem excitet, cùm potiùs è converso charitas iram debeat excitare. Sunt & alij qui personis nos vitijs irascuntur. Nos autem si charitatis ordinem inspicimus, videbimus, quòd diligenda est natura quam Deus condidit, & detestanda sunt crimina quæ quivis ex instinctu proprio, vel certè diabolico, perpetravit, Possumus tamen interdum homini

mini non ex rancore, ſed pro bono ſuo cupere malum pœnæ, cùm quis ex ſanitate corporis, vel affluentia divitiarum, vel alijs ex gratijs extollitur, aut peccatis alijs implicatur: ut ſibi bona ſubtrahantur huiuſmodi, benè poſſumus & laudabiliter exoptare; ut deficiente cauſa, deficiat & effectus.

# CAPVT XLV.

## PATIENTIA QVALITER acquiratur

VT autem iucundiùs poſſimus nobis adverſantia ſuſtinere, ſtudeamus ad hoc ſollicitè poſſidere, memoriam videlicet Dominicæ paſſionis, conſiderationem retributionis, dulcedinem Dominicæ charitatis. Penſemus & noſtra mala merita, Deique beneficia, & pœnam purgatorij, quæ nobis per tribulationem dirimitur, & peccatum quod dimittitur,

tur, & gratiam quæ perficitur, & Dei gloriam ad aquam ordinatur, præmium quod augetur, atque cautelam, quia per hæc non modicum quis eruditur, Sed laborandum nobis est, ne per ipsam nos contingat inde pœnam incurrere, unde possemus gratiam & gloriam expectare. Videmus enim quòd per æqualem motum, pigmentum redolet, lutum fætet, & quòd in eodem igne aurum rutilat, fænum fumat. Certè tribulatio calor est ad boni operis fervorem pigritiam nostram excitans, & ventus ad portum gloriæ nos impellens. Cæterùm cùm iniuriosè molestamur, citiùs in nobis rancorem extinguimus, si per dissimulationem primos impetus reprimamus. Est enim iræ natura, quòd signis exterioribus prælata crescit, sed dilata minuitur & languescit.

Ca-

# CAPVT XLVI.

## DE ORDINATIONE hominis ad Deum.

*Quomodo homo erga Deum se habere debeat,*

OMni nisu, Fratres mei, exhibete coram Deo vos laudabiles sinceræ mentis puritate, & coram hominibus decentis disciplinæ. Exhibete vos semper in Dei servitio moratos, sollicitos ac devotos. Sollicitè Deo placita investigate, & ardenter ea concupiscite, & implete. In charitate & ex charitate cuncta facere satagite: ut & Deo largiente habeatis, charitatis habitum, & per vestrum studium eius motum, Si enim unum istorum in actionibus vestris defuerit, nequaquam apud Deum meritorium opus erit. Id ergo quod in usu venerit ad Deum devotè referte, & ei propter seipsum per amorem infatigabiliter inhærete. Via vobis sit ad Deũ tam prospera quàm adver-

adversa sustinere: ut in prosperis successibus cum gratiarum actione sitis humiles, & in adversis seu contrarijs patientes. De nullo gaudeatis, nisi quod Christo militat: nec de aliquo doleatis, nisi quod ab eius gratia vos elongat. Soli Deo placere appetatis, sibique displicere solummodò timeatis. Sola vobis ea quæ Deo vos coniungunt dulcescant, solaque ipsi contraria amarescant. Totam vitam vestram ad Dei gloriam ordinate, semper illi de beneficijs suis gratias agite: & quicquid ad laudem eius non pertinet, quasi amissum penitus reputate. Vilescant vobis peritura omnia propter Deum, nec quæratis aliquid in transitorijs quod est contra Deum. Et delectet vos omne tristabile quod ordinat vos ad Deum. Sit vobis Deus in honore gaudium, in mærore solatium, in tribulatione defensio.

Deus in omnibus quærēdus & amād9

Est Deus suis omnia omnibus.

Sit vobis cibus in ieiunio, in paupertate abundantia, in infirmitate ſaluberrima medicina. Quapropter ſi eſuritis, ſit vobis ille convivium; ſi ſititis, ipſe ſit vinum conditum; ſi nudi, ſit ipſe veſtitus; ſi infirmi, ſit ipſe medicus; ſi vigilatis, ſit ipſe lectulus; ſi fatigati ex itinere, ſit quies & umbraculum ipſe vobis. Sit, inquam Deus cordis veſtri ſpeculum quo vos componatis, ſit ſigillum cui vos imprimatis, ſit via per quam ambuletis, ſit gemma qua vos ornetis, ſit fons qui vos lavet, ſit panis qui vos confortet, ſit electuarium quod vos ſanet, ſit clavis qui corda veſtra ſibi aperiat, mundo claudat. Et ſi vires corporis deficiant, ſemper tamen in obſequio conditoris bonæ voluntatis deſideria inardeſcant. Diligite quæ Deus diligit, & odite tantũmodo quod odit. Quantum eſt in vobis, ſemper ſtudea-

atis habere intellectum Deum cognoscentem, affectum Deum diligentem, diligentiam ipsum quærentem, sapientiam ipsum invenientem conversationem sibi placentem, perseverantiam ipsum fideliter expectantem. Quid plura, fratres charissimi? Adoremus Dei potentiam, miremur sapientiam, amemus clementiam, desideremus pulchritudinem, alliciamur per dulcedinem, veneremur æternitatem imitemur humilitatem, magnitudinem inquiramus, perfectionem laudemus, misericordiam speremus, iustitiam eius timeamus.

# CAPVT XLVII.

## DE ORDINATIONE

*Hominis erga seipsum.*

CORpus vobis solummodo sit in mundo, sed animus sit in cælo: in tantum mentes vestræ intentæ sint supernis, ut præsentia

tanquam transacta quodammodo reputetis. Mundus sit vobis exilium, & patria vestra cælum. Freqüenter Deum ad cor dirigite, propter familiaritatis amicitiam subintrandam: licet hoc ipsum fiat breviter. Et propter accediam removendam, studijs spiritualibus vos paulatim assuefacite. orationis usum vobis imprimite, nec tantum bonum tanquam ex consvetudine, sed ex devotionis dulcedine adimplete. Orationes furtivas quærite: illis quoque orationibus libenter insistite, quæ affectum vestrum ad fervorem videantur ampliùs excitare. Videte ne dum corpus sit in choro, animus sit in foro. Existentes in itinere, sic vos exhibeatis bono modo socijs affabiles, ne ipsa socialitas ab orationum consvetarum fructu faciat vos inanes. Quotidie manè surgentes cuncta Deo quæ facturi estis offe-

ratis. Finito die convocatis cogitationibus, locutionibùs, operationibus illo die commissis, vobismetipsis capitulum teneatis. In lectione studeatis intellectum perficere & affectum. Sic illa bona quæ ex affectu facienda quandoque concipitis compleatis, ne propter illa bonum obedientiæ vel ad id quod tenemur negligatis. Et breviter, ut summo bono familiariùs coniungi valeatis, ab omni strepitu sæcularium negotiorum sitis exuti. A vanitatibus spectaculorum avulsi, à cunctis infructuosis cogitationibus extranei, & mundi blandimentis & illecebris crucifixi.

## CAPVT XLVIII.

### DE ORDINATIONE HOMINŪ erga pcoximum.

IN omni actu fratres mei charissimi, studete semper vobis proficere ad meritum, & proximis

mis ad exemplum. Circa ſervitia fraterna ſitis iucundi, ſpontanei, & parati, nec ulli ſitis propter uſum proprij corporis oneroſi. Gratiam quam accepiſtis, etiam alijs libenter impendatis: id quod vobis deeſt ab habentibus humiliter requiratis. Delictorum fratrum non indignatio, ſed compaſſio proſequatur. Accuſate proprios defectus, & ſupportate miſericorditer alienos: ſemper cogitantes, vos perpetrare potuiſſe ſimilia vel maiora, niſi divina miſericordia vos cuſtodiſſet. Et certè licet non advertatis, iam forſitan magnis defectibus laboratis: in quibus & vos indigetis ab alijs ſupportari. Habet enim fructus quilibet vermem ſuum. Monete delinquentes humiliter, & arguite patienter. Pacem cum hominibus, & bellum cum vitijs habete, In bono ſervate concordiam, & non in malo. Fratris ira-
cun-

cundiam, etiam ſine ratione contra vos conceptam, ſicut veſtram conſideretis compeſcere. Quælibet tranſitoria fraternæ poſtponite charitati. Sic homines diligatis, ut eorum vitia non ametis. *Dilectio debetur hominibus ſecundùm meritum, ſed veneratio ſecundùm officium vel ætatem.* Debetis ergo plus honorare Superiores, & plus diligere meliores: Prælatis obedientiam, æqualibus concordiam, inferioribus beneficium exhibere. Contendite maioribus per timorem ſubijci, æqualibus per charitatem obſequi, ſed per humilitatem minoribus coæquari. Sitis præcipientibus parati, obedientibus modeſti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi. Negligentes & reprehenſione dignos ita caute declinate, ut ipſos præſumptuosè non judicetis, & tamen ea quæ faciunt fugiatis. Quoſcumque ſer- Nota

ven-

ventiores in bono cernitis, eorum familiaritatem avidiùs appetatis. Quamlibet virtutem velut apis prudens, semper à melioribus capite: nec quod minus habeat, sed quid virtutis possideat, cogitate. Vniversa verò quæ videritis minus ædificationis habentia, velut cæci, & qui penitus nihil viderint transeatis. Nunquam enim eorum qui malè agunt auctoritate vel consuetudine animati vel exemplo, id quod deterius est faciatis.

# CAPVT XLIX.

## DE SPECTANTIBVS AD Prælatum.

*Officium boni Præsidentis.* AD vos autem spectat, ô Prælati, speculum subditorum esse, dominium non amare, sine contumelia corrigere, nunquam vituperare, sine superbia gubernare, sine crudelitate castigare, cum pietate fovere, veneratio-

nem

nem non exigere, æqualitatem servare, culpas propter amorem vel timorem non dissimulare, ex rancore vel odio non punire, in pœnis misericordiam cum iustitia temperare. Communi aliorum cibo & vestitu contentos esse, ad bonum monere, nec moribus contradicere, verbo & exemplo præesse, pro diversitate culparum & personarum, nunc vinum nunc oleum exhibere, sicut potestate sic virtute alios præcellere, non solùm præesse, sed & prodesse, circa interiora & exteriora sollicitudinem habere, spiritualia & temporalia provide dispensare, quæ sunt contra ordinem non licentiare, rationabiles licentias non negare, curis superfluis vos subtrahere, sed necessarijs non deesse: cum his qui in levitate ambulant non miscere, maturitatem honestam prætendere, prælaturam pro libertate

vel commodo non tenere, auarè ſuperflua non appetere, res contra honeſtatem non acquirere, de reddenda ratione continuè cogitare. Ad vos, inquam ſpectat ô Prælati, eſſe in actione prouidos, in dictis veraces, in factis humiles, in contemplatione ſuſpenſos, in factis ſtabiles, in regimine fideles, vobis eſſe parcos, ſed alijs liberales; in capitulis eſſe ſtrenuos extra pios; rebellibus eſſe patres, humilibus eſſe matres. Sic ergo vos habeatis ad ſubditos, ut parati ſitis infirmis ſemper ſubuenire, ſanos ad bonum ſemper ſtimulare, tentatos confortare, peccantes corrigere, deuotos diligere, pigros excitare, indiſcretè feruentes retrahere, religioſos ad exteriora mittere, diſſolutos in domo retinere, ſeniores in dubijs conſulere, iuniores ſecundùm regulam nutrire, ſimplices non contemnere, verecundis parcere,

præſumptuoſos inclinare, turbatos conſolari, omneſque vobis commiſſos Domino commendare.

# CAPVT L.

## DE MORTIFICATIONE affectuum.

VT perfectiùs, fratres chariſſimi, poſſitis finem attingere ad quem intenditis, ad quid mundum relinquentes veneritis, ſollicitè cogitetis: voluntates veſtras frangite, & mundo vos mortuos æſtimate. De cordibus veſtris abijcite curioſas cogitationes, indignas affectiones, ſiniſtras intentiones, violentas occupationes, triſtitiam inutilem, privatum amorem, & ſenſum vtique ſingularem. Illud coram oculis Dei cogitare pertimeſcite, quod in præſentia hominum vtique pertimeſceretis operibus exercere. Conetur ergo unuſquiſ- Quale cor

*boni Religiosi debeat esse.*

que cor habere quod sit ut hortus arboribus virtutum virens, ut apotheca sanctarum affectionum aromatibus redolens, ut cælum divinarum illuminationum sideribus fulgens, ut flos supernum rorem suscipiens, ut arca thesaurum mirificum in se claudens, ut fons devotionis rivulis semper manans, ut speculum Dominicam imaginem repræsentans. O beatum cor, quod exhibet se solium in quo Deus sedeat, thalamum in quo quiescat, sigillum cui similitudinem suam imprimat, cellarium quod vino suo repleat, & librum in quo memoriam suam scribat: aurum quod pro beneplacito suo flectat. Conetur ergo iterum atque iterum quis habere cor Deo devotum, cogitationibus discretum, & tentationibus cautum, à rancore extraneum, à iudicijs alienum, desiderio languidum, amore vulneratum, cogni-

tio

tione fulgidum, in operibus timoratum, contemplatione elevatum, in bono sollicitum, contritione scissum, munditia sanctum, timore custoditum, & gratia decoratum. Denique diligentissimè studeamus, fratres, ut toto corde recedamus à peccato, detestando culpam, toto corde convertamur ad Dominum, agendo pœnitentiam, toto corde requiramus Dominum supplicando veniam. Toto corde adhæreamus Domino, ipsum super omnia diligentes, toto corde serviamus Domino, ipsum laudantes, toto corde sequamur Dominum, ipsius vestigia imitantes. Ista meritò debemus Domino, qui beneficia innumera præstat cordi nostro. Ipse namque Deus potentia iuvat corda nostra, sapientia gubernat, bonitate ditat, dulcedine cibat, pulchritudine invitat, charitate unit, promissis allicit, flagellis erudit,

rudit, comminatione concutit, ac beneficijs emollit. Ipse DEVS dulcissimus corda nostra intuetur approbando, tangit excitando, visitat consolando, vivificat iustificando, aperit irrorando, de quibus omnibus gratiarum actiones nos referre convenit indefesse.

# CAPVT LI.

## DE REFRÆNATIONE linguæ.

NVmquam frater sileat loquenda, vel proferat reticenda. Quando verò loqui proponit quis ipsa verba priùs in animo temperet, quatenus honestè, mode-
Prov. 6. stè, veraciter & dulciter quod voluerit id proponat. Lingua enim mendax dupliciter elata & inflammata, Deo est & hominibus odiosa. Diligenter ergo charissimi respicite, quid, vel quibus, quando, vel ubi, qualiter

vel

vel quantū, vel certè qua de causa loquamini, ne sermonibus vestris, si debitæ circumstantiæ defuerint, generetur mala conscientia cordibus proprijs, vel certè scandalum in animo auditoris. Hæc autem tria, videlicet gestū, vocem, significationem, in vestris locutionibus attendatis: ita ut gestus sint disciplinati, vox lenis, significatio semper vera, verbis nolite contendere: sed nec in litibus curetis victoriam obtinere. Vitanda sunt semper verba quæ vel loquentibus vel audientibus sunt nociva. Ab his itaque locutionibus est abstinendum, quæ vel illius qui loquitur, vel eius cui loquitur, vel illius de quo loquitur, non conveniunt honestati. Tempus loquendi considerandum est: quia quandoque nihil, quandoque aliquid dicendum est: Sed nullum tempus invenitur, quando etiam mala vel bona sint omnia

*Quàm provide & circūspectè loquendum.*

mnia proferenda. Aliquando vero tacere debemus, propterea quia alter loqui cœpit, ne sermonem eius interrumpere videamur. Aliquando tacendum est propterea, quòd auditorum animos advertimus ad id quod dicere proponimus imparatos. Aliquando tacendum est propter multiloquiū devitandum, vel etiam propterea quòd ipsi qui sumus locuturi, nondum formam congruam concepimus proponendi. Senes loquantur de discretione consulendi, iuuenes de instantia operandi. Sapientes de ministerio scripturarum, simplices de exemplis bonorum operum. Hi qui exteriora tractant, de sollicitudine activæ vitæ, qui quietam ducunt vitam, de dulcedine cōtemplativæ. Prælati de dispensatione temporalium & spiritualium: subditi de obedientia præceptorum. Cùm igitur propter ædificationem nostrā

loqui

loqui volumus, ad hoc illorum doctrinam, quorum possimus ad virtutem provehi, eligamus Cùm verò propter aliorum ædificationem loquimur, ad illos, quos speramus per nostram exhortationem posse corrigi, convertamur. Ad hoc autem doctrina nostra intendat, ut hortemur ad constantiam timidos, ad timorem superbos, ad quietem importunos, ad fervorem tepidos, ad silentium verbosos, ad verbum exhortationis tacitos, ad mansuetudinem impatientes, ad vigilantiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam præcipites & procaces. Hoc etiam sollicitè considerandum est, quòd frater loquendo membra non moveat, neque oculorum nutibus, vel alia vultus transmutatione sermonis sui gratiam decoloret. Devitetis itaque verbum amarum, superbum, detractorium, adulatorium

Nociva verba vitanda.

rium

rium, iuratorium, superfluum, & otiosum. Sicut autem absenti non debetis detrahere, sic nec præsentem aliquatenùs deridere. Insipientibus non debetis illudere, nec sapientibus invidere. Sitis muti in otiosis, sed loquaces in sermonibus fructuosis. In locutionibus vestris non cor in lingua, sed linguam in corde potiùs teneatis. Sanè cùm ad loquendum veneritis, pauca verba & rationabilia proferatis. Taciturnitatem diligatis. Per silentium namque conscientia serenatur, pœna vitatur,, pax conservatur, & mens per contemplationem expeditiùs elevatur. Quanto enim plus strepitu negotiorum vos subtrahitis, tanto Deus vicinor erit vobis.

## CAPVT LII.

### DE EXERCITIO BONORUM *operum.*

*Officium veri Religioſi.*

ILlis virtutibus chariſſimi, ſingulariter pollere ſatagite, quæ ſpecialiter pertinent ad obſervantiam diſciplinæ, quales ſunt abdicatio proprietatis, cum obedientiæ bono, ac munditia caſtitatis. Et quoniam per vota religionis ad magna vos ligaſtis, magna quoque in operibus demonſtretis. Multo namque melius eſt in minoribus promiſſionibus eſſe devotum, quam in maioribus negligentem. Veſtrum ordinem ſervetis opere, ſed omnes alios charitate. Quotidie in aliquo virtutis exercitio proficite, & in bonũ conari ſollicitè laborate. Navis enim quæ contra ictum fluvij ducitur retrocedit, niſi ſurſum cum labore continuo moveatur. Si ſtatum quem in vobis Deus poſuit conſideratis, meliora ſemper quæ ad illum pertinent adimplete. Habeatis in patientia vitam, in deſiderio mortem. Diſciplinam extra ſerva-

servate, conscientiam interiùs ex-purgate. Subtiliter investigat mala propria, & dignè corrigit indagata. Communem reprehen-sionem audientes, non illam a alios, sed ad vosipsos humilite retorquete. Quia certi estis d perpetrata culpa, doleatis; se quia incerti estis de venia, timea-tis. In omnibus actionibus v stris extrema fugite, & semper i medio vos tenete. Vnde tali mo deramine carnem stringite, qua centum annis victuri: sed viti sic fugite, quasi cras morituri. Ci ca servitia fraterna sitis prompti nec ulli circa usum proprij co poris onerosi. Estote, fratres, hu miles sine fictione, maturi sin ponderositate, agiles sine levita te, timentes sine desperatione sperantes sine præsumptione, sin contradictione obedientes, sin dissolutione hilares, sine murmu ratione patientes. Estote inquam com-

> *Nota hæc. qui sata gu vitam ducere religiosā & ad per fectam venire.*

compositi ad morum disciplinam, pij ad misericordiam, immobiles ad inconstantiam. In oratione devoti, & in vestri custodia circumspecti. Curate præterita mala plangere, præsentia vana spernere, futura cavere, in bono finaliter perdurare. Quamuis nihil honestatis humana præsentia nobis debeat adijcere, vel solitudo minuere, tamen ibi magis servate disciplinam, ubi vel pluribus generat scandalum neglecta, vel formam imitationis tribuit custodita. Noctem ordinetis silentio & orationi, diem verò bonis exercitijs & labori. Diem detis proximo, noctem Deo. Laboris causam, non laborem in laboribus cogitate. In bonis fortes estote, sed in malis debiles vos exhibete. In agendis denique talem ordinationem quoad omnes & singulos observetis, ut sit videlicet in Prælatis diligentia, in subditis obedi-

Qualem

*se quisque ubique exhibere debeat.*

bedientia, in omnibus simul pax & concordia, In choro devotio & disciplina, iuxta altare maturitas & reverentia. Devoti sint senes, laboriosi iuvenes. Sit humilitas in habitu, parcitas in victu, sobrietas in potu. Sit in claustro non rumor sed lectio: in capitulo non lis sed confessio. Et intentio fratrum non versetur in caussis, sed in Psalmis. In conventu verò sint assidui, in curijs rari.

## CAPVT LIII.

### DE EXERCITIIS virtutum.

SIcut spectat ad iustitiam operatio boni, sic declinatio quoque mali. Quapropter laudabiliter vivatis, nec tamen laudem hominum appetatis. Non gloriemini, quia diu vixistis in Religione, sed de paucis annis, quibus Ordinem observastis. Hypocrisim fugiatis, & in veritate coram

Deo

Deo ambuletis: ſicut & in veſti-
mentis ovium forinſecus appare-
tis. Nimis enim parum eſt in
ingreſſu religionis tantum habi-
tum immutare. Igitur ſimplici
gradientes via, nunquam duplici-
tatis aut fictionis veſtigium præ-
tendatis. Quicquid contra com- *Singularitas vitāda*
munem uſum eſt, vel quod poteſt
vos reddere notabiles, id fugite
quaſi peſtem. Iuſtitiam nunquam
deſeratis propter verecundiam,
vel timorem. Diſſolutiones non
faciatis, nec vos cum eis qui in
vanitate ambulant miſceatis. Stu- *Mortificatio ſenſuū qualiter exhibēda.*
dete viſum à vanitate, aures à ru-
moribus, cor à malis cogitatio-
nibus claudere, & linguam à ſer-
monibus ocioſis, manus à con-
tactibus impudicis, pedes ab eva-
gationibus cohibete. Ab omni
denique vos ſubtrahite, quod in
Conditoris vos obſequiis poſſit
impedire. Otia declinetis, nec
cellas inutiliter occupetis. Cre-
bra

bra munuſcula frequentemq
miſſionem cingulorum, & cu
tellorum & huiuſmodi devitet
Nolite non fienda inſipienter a
petere, aut facienda per accedia
faſtidire. Diligentiſſimè caveati
ne quando vel in labore minùs p
tientes, vel in obedientia præce
torum minus alacres, vel in ch
ritatis operibus inveniamini n
gligentes. In certo ſemper ſta
& ſecura conſcientia vos ſponat
Nunquam etiam in eo vivere pr
ſumatis ſtatu, in quo morien
decedere non audeatis. Exceſſũ
habitu caveatis, ne veſtimenta v
ſtra ſint in genere pretioſa, vel
qualitate nimis mollia, vel in c
lore ſplendentia, vel in formatio
ſignum habentia vanitatis. Ge
quoque corporis ubique cum
ſciplina exerceatis, ſic videlic
ut ſingula membra ſuum tenea
*De religiosa Diſpoſitione* officium, nec uſurpent in ſuis
ctibus alienum. Vnde nec loqu
tu

tur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officia ſibi ſumat: ſed vnum quodq; membrũ tam decenter opus ſuum impleat, quatenus aſpectum intuentium non offendat. Facies autem humana cùm ſit ſpeculum diſciplinæ, in tanto maiori cuſtodia eſt habenda: quantò minùs poteſt abſcondi, ſi quod peccatum in ea fuerit, vel celari. Diſcurſus inutiles frater caueat diligenter: nam ſicut de inconſtantia mentis naſcitur inordinata motiò corporis; ſic ècontrario paulatim mens ad quietem componitur, quando motus corporis inordinatè fieri non ſinuntur. Corpus non colatis: nec ſolatia tranſitoria habeatis. Terrenæ namq; conſolationes iucundant falſò dum ſunt, ſed contriſtant veraciter dum non ſunt. Hoc quoq; ſpecialiter attendendum, quòd ſicut malum opus reprehenditur, ſic & bonum

quodammodo, si non fit tempor oportuno. Iustitia enim & veritas non deficit, quãdo in his tempus debitum expectatur. Fructu namq; non semper prouenit cu semen iacitur, sed tunc demu quando suo tempore seminatur.

## CAPVT LIV.

### DE TEMPERANTIA
### In cibo & potu.

CORpus vt seruiat nutriatis & ne lasciuiat edometis. Si abstinentiam exerceatis, ne po stea comedentes, ipsum ieiuni um nimia superfluitate compen setis. Non sapor ciborum, sed fa mes appetitum comedendi exci tet vobis. In mensa studeatis ne cessitati, non appetitui prouide re. Caro enim pascenda est: se vitia sunt extinguenda. Vnd corpori neque danda sunt supe flua, neque necessaria subtrahen da. Quando ergo sufficienter

bum sumpsistis, si postmodum delicatiora vel meliora superuenerint, nõ propter illa stomachũ oneretis. Et quod de cibo diximus, de potu quoque ac somno, ac indumento, alijsque corpori necessarijs intelligatis; vt nunquam in illis curetis voluptati satisfacere, sed naturæ. Id etiam prætereundũ non est, quòd ante cibũ sumptum, magis hilares vos esse conuenit, ne videamur per abstinentiam perturbati: postea verò tacitos ac modestos, ne putemur in crapula inflãmati. Ante prandium doctrinæ tempus est & orationis: postmodũ autem operis & laboris. Tunc enim exercendus est animus, quando leuis est ad studium spirituale: & tunc reprimenda est caro, quando calores incentiui per cibum solent amplius excitari.

# CAPVT LV.

## DE VENIALIBVS *Vitandis.*

SIcut libenter vitatis pecca grauia, ſic cauete fratres, n multa vos moleſtent veniali vel minora. Sæpè etenim venitu de peccatis minimis ad magn ſicut ignis validus ſurgit nõnu quam de modica ſcintilla. Vitan da ſunt igitur peccata venialia quia nos in malis aſſuefaciunt feruorem diminuunt, profectu dedecorant, ad pœnam obligant animæ potentias in operibus ſui laxant, & à gloria nos retardant Nunquam enim à quoquam fa cies Dei videbitur, donec per pœ nam venialium peccatorum qua drans minimus perſoluatur. Hæ ſunt quoque quæ gaudium cæle ſte indirectè nobis minuunt: qui omnia opera noſtra bona, pe quæ nobis creſcere poſſet æterno

rum

rum cumulus præmiorum, conuertere nos oportet ad ſolutionem huiuſmodi debitorum. Curemus ergo per omnis mali declinationem eſſe potius innocentes, quàm commitendo culpas etiam ſeuiſſimas eſſe pœnitentes.

## CAPVT LVI.

### CONCLVSIO EXHORtationis.

ECce, fratres chariſſimi, qualiter in multis vos inſtruxi, qui ipſe indigeo erudiri. In loco namque peregrinationis noſtræ quamdiu prauum eſt cor hominis, procliuum ad vitia, languidum ad virtutes, mutuis exhortationib⁹ indigemus. Hinc eſt quòd omni virtute vos precor, & moneo conſcientias per eum, qui ſuo pretioſo ſanguine nos redemit, & vitæ nobis portam pia ſua morte reſerauit: vt veſtræ profeſſionis veſtriq; propoſiti non immemo-

res, ſemitarum memineritis anti
quarum : per quas anteceſſore
veſtri currere feſtinarunt in ſpi
ritu vehementi, & iam regnan
cum Chriſto, beata requie perpe
tuò conſolati. Ad quam cùm &
nos diuina ſuffragante gratia per
uenerimus, erit animabus noſtri
cognitio primæ veritatis, dilectio
ſummæ bonitatis, ac diuinæ frui
tio maieſtatis. Erit & corpori
bus claritatis pulchritudo, agili
tatis promptitudo, ſubtilitati
aptitudo, & impaſſibilitatis in
uictiſſima fortitudo. Ibi erit a
fluentia diuitiarum, & fluenti
omnium bonorum. Ibi gaude
bimus ſupra nos de diuina intui
tione, infra nos de loci amœnita
te, intra nos de corporis & anim
*Merces & gloria beatorum.* glorificatione, iuxta nos de An
gelorum & hominum in unum a
ſociatione. Quid plura? ibi eua
ſio periculorum, diſtinctio man
ſionum, & concordia voluntati

Ibi

Ibi amœnitas vernalis, candor lucis æſtiualis, vbertas autumnalis, ac requies hyemalis. Illic, inquam, vita ſine morte, certum ſine ſorte, dies ſine nocte, libertas ſine timore, gaudium ſine mærore, requies ſine labore, regalis dominatio ſine fine. Hæc nobis præparare dignetur, qui eſt principium ſine principio, & finis omnium ſine fine, Amen,

FINIT EXHORTATIO B. HVMBERTI.

*Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando iraſcatur, & pereatis de via iuſta.* Pſal. 10.



# EX VITA S. VINCENTII.

SANCTVS VINCENTIVS, cognomente FERRARIVS, Valentiæ nobilibus parentibus procreatus, Prædicatoriæ familiæ adiunctus, ac illius præclarissimũ decus. Vir planè Apostolicus, potens opere & sermone. Verbi Dei Præco celeberrimus, ac vitæ sanctimonia clarissimus: virginitate conspicuus; Prophetico spiritu multisq; clarus miraculis. Qui hoc etiam præclaro dono insignitus fuit, vt vernaculo idiomate, apud diuersæ linguæ varias nationes prædicans, ab omnibus clarissimè intelligeretur, tametsi aliquando viginti, aliquando triginta millia auditorum haberet: vnde plurimum populũ Deo acquisiuit: nam vigintiquinq; millia Iudæorũ, & octo millia Sara-

ceno-

cenorum, & vltra centum millia peruersorum ac sceleratorum suis feruentissimis prædicationibus conuertit, & ad sanam mentem reduxit Qui anno millesimo quadringentesimo decimo octauo ad tantarum virtutum & meritorum præmia & coronas in cœlum feliciter emigrauit. Qui postea à Calixto Tertio inter Diuos est relatus. In cuius canonizatione allatum & comprobatum fuit, inter cætera portenta & miracula, etiam viginti octo mortuos eum excitasse.

---


# INDEX CAPITVM INSRTVCTIONIS VITÆ Spiritualis SANCTI Vincentij.


 *quam*

# AVCTORIS PRÆFATIO.

POnam in hoc tractatu tantummodo documenta salubria, de dictis doctorum extracta. Non intendo adducere aliquod Scripturæ testimonium, vel alicuius

cuius doctoris, ad probandum, quæ dicam, vel ſuadendum: tum quia breuitati intendo: tum quia tantûmodo ad illum ſermonem dirigo, qui cum magno affectu deſiderat implere, quæcumq; ſecundum Deum fienda cognouerit. Et iccirco etiam dicta non probo, quia humilem intendo inſtruere, non cum arrogantibus contentionibus deſeruire. Quincunque igitur voluerit proximorum animabus vtilis eſſe, eoſque verbis ædificáre: primó ſtudet in ſeipſo habere quicquid alios eſt docturus: alioquin parum proficiet. Nam verbum eius erit inefficax, niſi priùs homines in eo comperiant eſſe quod docet, & longè maiora.



# INSTRVCTIO VITÆ SPIRITVALIS,

edita à

## B. VINCENTIO, Ordinis Prædicatorum.

## CAPVT I.

*De paupertate.*



Portet enim primitus, omnia terrena contemnat, & velut stercora reputet, & solùm districtissimè quantum satis sit ad necessitatem, de ipsis recipiat. Quam necessitatem in pauco colligat, sufferendo etiam quædam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait; Scio quod laudabile non est, pauperẽ esse, sed in paupertate paupertatem

*Inprimis Religiosus debet omnia terrena & transitoria cõtemnere.*

amore

amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere. Proh dolor, multi de paupertatis solũ nomine gloriantur, sed quo pacto? Vt eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis sodales & amicos fugiũt pro suo posse, famem, sitim, contemptum, despectionem. Non sic beatissimus Dominicus Pater noster. Non sic ille, *qui cùm diues esset, egenus factus est*; omnesq; Apostoli, qui (vt nosti) verbo & exemplo docuere. Nihil ab aliquo petas, nisi esset necessitas, nec acquiescas cuicunq; dare volenti, quibuscumq; precibus, etiam sub prætextu, vt indigentibus largiaris, quia crede quòd in hoc ipso, & omnes, qui audierint, finaliter multum ædificabuntur, ac per hoc ad contemptum mundi eos poteris faciliùs inducere, & ad subuentionem aliorum indigenti-

*Fucati paupe-res.*

2.Cor. 8.

*Quæ fugienda pau-pertatis amatori.*

gentium inclinare. Neceſſitatem autem tuam intelligo, in parco victu, & vili veſtitu, & calceamento, quibus tunc præſentialiter indiges. Non voco autem neceſſitatem, librorum inopiam, ſub quorum velamine frequenter magna auaritia comperitur. Satis enim libri communes, vel accommodati inueniuntur in ordine. Et quicunque effectum prædictorum voluerit clarè cognoſcere, ſtudeat primò corde humili adimplere: alioquin, ſi corde tumido contradicere voluerit, foris ſtabit, Nam à Chriſto, humilitatis magiſtro, humilibus manifeſtatur veritas, quæ tumidis occultatur.

*Neceſſitas quibus contineatur.*

*Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.*

## CAPVT II.

### *De taciturnitate.*

FActo ergo paupertatis ſtabili fundamento, à Chriſto fundatore in vertice poſito, dicente: *Beati*

*Mat. 5.* *Beati pauperes spiritu, &c.* ad restringendum linguam viriliter se accingat, vt lingua, quæ vtilia debet loqui, ab ociosis & inutilibus compescatur omnino: & vt meliùs restringat, penitus non loquatur, nisi interrogatus: interrogatus dico, de re necessaria & vtili: nam inutilem quæstionem silentium debet soluere. Si qui tamen causa solatij, vel inuectiua ipsi dicant, ne onerosus alijs videatur, quandam vultus hilaritatem, & benignitatem poterit ostendere, sed nullo modo loqui, etiam si illos, quicumque sint, de hoc viderit murmurare, vel contristari, aut verba detractionis proferre, ipsum causando singularem, seu superstitiosum & grauem. Debet tamen pro ipsis attentius orare, vt Deus ab eorum cordibus omnem turbationem amoueat. Poterit tamen aliquando loqui, si immineat aliqua necessitas,

*Refrænanda lingua per sacrum silentium quod est custos Religionis*

*Quie nim nõ refrænat linguam suam, huius vana est religio.*

*Iac. 1.*

cessitas, vel proximi charitate vel obedientia prouocatus, & tunc valde præmeditatim, & cum paucitate verborum, voce humili & submissa Quod etiam debet facere, dum alicui habet respondere de aliquo. Nam taceat ad tempus, ad proximi ædificationem, vt tacendo discat, qualiter suo tempore loqui veleat, rogando tamen Deum, vt per seipsum suppleat cordibus proximorum interiùs inspirando ea, à quibus interim se abstineat, linguam per silentium edomando.

## CAPVT III.

### *De cordis munditia, & passionum ac sensuum mortificatione. per quam puritas mentis acquiritur.*

EXtirpatis igitur per paupertatem voluntariam & per silentium multis solicitudinibus, quæ impediunt virtutum semina,

ne quantumcumque in agro cordis sæpe & sæpiùs seminata inspiratione diuina, valeant pullulare: iam tibi superest cura, virtutibus illis ampliùs insudare, quæ te adducant ad illam cordis mũditiam, per quam interiores oculi iuxta Saluatoris eloquium, aperiantur in contemplatione diuina, per quam habeas quietem & pacem, & ille *cuius in pace factus est locus eius:* in te quoque habitare dignetur. Nec intelligas me loqui de munditia, quæ hominem purgat tantummodo á luxuria cogitationis immundæ, sed loquor potiùs de illa munditia & cordis puritate, quæ hominem elogat, quantum in hac vita possibile est, à quibuscunq; cogitationibus inutilibus, vt iam non libeat homini aliquid cogitare, nisi de Deo, vel propter Deum. Ad hanc autem obtinendam cælestem (vt ita dicam) imò diui-

*Ps. 75.*

*Vera cordis munditia.*

nam

nam quodammodo puritatem, (*nam qui adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus cū eo*) iſta neceſſaria ſunt. Primò, omnium ſtudeas, quantumcumque potes, abnegare te ipſum, iuxta Saluatoris præceptũ, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c.* & hoc ſic intellige, vt tuam voluntatē in omnibus mortifices, & conculces, & in omnibus ei contradicas, benignè amplectendo aliorum voluntatem, ſi tamen licita ſit & honeſta. Hoc tamen generaliter habeas pro quacunq; re temporali, per quam corporalibus neceſſitatibus deſeruitur. Nunquam ſequaris voluntatem propriam, vbi alium contradicere videas, quantumcunq; exorbitare videatur à proprio iudicio rationis. Debes enim ſufferre quodcumq; incommodum pro interna mentis tranquillitate ſeruanda, quæ per tales repugnantias perturbatur, dum homo

*Cor. 6.*

*Neceſſaria ad puritatem cordis abnegatio ſui ipſius.*

*Nunquam ſtandũ & ſidēdũ proprio iudicio.*

homo suo iudicio adhærendo, & suam voluntatem implendo, verbis vel cogitationibus cum alijs altercatur. Et non solùm in temporalibus, sed etiam in his, quæ spiritualia sunt, vel ad spiritualia ordinata, alterius potiùs, quàm tuam impleas voluntatem, dum modò sit bona, licet tua perfectior videatur, quia maius detrimentum acquires in diminutione humilitatis: tranquillitatis & pacis, cum alijs contendendo, quàm possit prouenire profect⁹ in quocunq; alio virtutis exercitio, voluntate propria assecutâ, alteri repugnando Et hoc intelligas quantum ad illos, qui sunt tibi familiares, & in spirituali exercitio socij, & qui ad perfectionis virtutem anhelant, non de illis, *qui dicunt bonum malum, & malum bonum*, & qui student aliorum dicta & facta carpere, & iudicare, plusquam sua praua corrigere.

*Vitanda iurgia, & contentiones.*

*Non obediendũ malis.*

*Isaiæ 5.*

Non

Non enim dico, quòd debeas talium iudicio adhærere in his quæ ſpiritualia ſunt. Nam in temporalibus benè debes: quorumcũq; Dei voluntatem plus quàm tuam exequi & implere. Si autem in his quæ ſecundùm Deum operari deſideras, ſiue ad profectum tuum, vel ad Dei honorem, vel proximi vtilitatem, aliquos tibi obſiſtere videas, ſeu etiam totaliter impedire, ſiue ſint ſuperiores, ſeu pares vel inferiores, noli contentionibus deſeruire, ſed teipſum in teipſo reſtringe, & te cum Deo tuo collige, illiq; dicas: *Domine vim patior, reſponde pro me.* Nec de hoc contriſteris, quia non poſſunt id facere, niſi finaliter pro bono tuo & aliorũ ſit expediens. Imò plus dico tibi, quòd quantumcumq; ad præſens nõ videas, videbis finaliter, quòd illud in quo tibi eos impedimenta præſtare credebas, erit tibi adiuuamen-

*Conſtãti animo opꝰ Dei proſequẽdũ.*

*Quid faciendũ quãdo obſiſtitur ſancto conatui.*

*Iſa 38.*

*N. B. huiꝰ S. viri dictum experientia ſæpe probatum.*

tum

*Quãdo diuinitꝰ obsistitur, tunc maximè diuinæ. Prouidentiæ fidendũ, & omnia committẽda. Pax & tranquillitas cordis quærẽda & tenenda.*

tum ad tuum propositum assequendum. Licet autem de horto Sacræ Scripturæ possem tibi ad hæc exempla producere, sicut de Ioseph, & multis alijs: nolo tamen contra id facere, quod prædixi, sed experto crede, quia ita est. Si etiam in his quæ secundũ Deum desideras, te videas quodammodo diuinitus impediri, vel per infirmitatem, vel quocunque alio contingente, de hoc nullatenus contristeris, sed totum æquanimiter feras, & te ex toto committas illi, qui meliùs nouit, quid tibi expediat, quàm tu ipse, qui te ad se continuè sùbleuat, dummodo teipsum illi ex toto comittas, quamuis fortè tu hoc minimè videas. Ad hoc ergo sit totum studium tuum, vt teipsum in pace & tranquillitate cordis possideas, & pro quocunque euentu non doleas, nisi de solo peccato proprio vel alieno, seu etiam de his qui te indu-

inducerent ad peccatum. Non ergo te contristet quicunque casus fortuitus, non te exagitet indignationis stimulus contra defectum alterius, sed habeas ad quemcunq; miserationis & compassionis affectum, cogitans semper, quòd tu peius faceres, nisi te Christus IESVS sua gratia conseruaret. Præpara insuper teipsum ad quæcunq; opprobria, ad quæcunque aspera, ad quæcunq; aduersa pro CHRISTI nomine sufferenda. Omnem etiam appetitum, seu cogitatum tibi suggerentē appetitum cuiuscumq; altitudinis, sub quocunque charitatis prætextu in ipso principio & ortu suo, velut caput draconis infernalis, cauterio mortifices, cum baculo crucis, tibi CHRISTI humilitatem ac durissimam passionem ad memoriā reuocando, qui regnum fugiens, Crucem voluntarie est amplexus, omni confusio-

*Aliorũ vita excusanda.*

*Honor non est expetendus, quia tanquã quoddam venenũ omnis ambitio est fugienda.*

fusione contempta, omnem humanam laudem fugiens cum honore tanquam venenum mortiferum. Et tu in despectu tui gaudens, te ipsum talē verè & ex corde reputes, qui meritò debeas ab omnibus cōculcari & despici.

*Propria delicta aggrauanda.* Videas continuè tuos defectus, peccata tua, & ea aggraua quantumcunq; poteris: aliorum verò defectus post tergum proijcias & non videas, & si vides, alleuies & excuses, & ipsis compatiaris, & adiuues quantūcunq; poteris. Auerte oculos tuos & mentis & corporis ab aliorum aspectu; vt teipsum possis inspicere in lumine vultus tui. Teipsum cōsidera, & sine simulatione diiudica.

*Propria bona opera extenuanda.* In omni actu, locutione, cogitatione, actione, te ipsum reprehende, & in te semper compunctionis misericordiam studeas inuenire, cogitando quòd bona tua non sunt plenè expleta, nec feruore

facta

facta quo deberent, sed negligentijs inquinata: vt meritò omnis tua justitia panno menstruatæ debeat comparari. Te ipsum continuè reprehendas, nec permittas in te sine increpatione transire negligentias verborum & operum, sed & de ipsis cogitationibus, non malis tantummodo, sed inutilibus, in conspectu Dei tui omni hora graviter reprehendas te, ut miserrimum peccatorum commissorem & plus vilem te reputa, & miserabilem pro defectibus coram Deo, quàm sint quicunq; proquibuscunque peccatis: & meritò à cœlestibus gaudijs excludendum, si secundùm justitiam suam, & non secundùm misericordiam vellet tecum agere Deus, qui tanta super multos alios tibi prærogavit, ad quæ omnia ingratus extitisti. Considera etiam diligēter, & cum pavore rumina, quòd aptitudinem ad bonum, & grati-

*Ratio deuitandi sui existimationē & humilitatis comparandæ.*

am, seu sollicitudinem ad virtutẽ à te ipso non habes, sed Christus sua misericordia dedit: quòd si voluisset, potuisset, ita conferre cuicunque, te in luto fecis derelicto. Cogita etiam, & ad hoc tibi ipsi persuadeas, quòd non est peccator, qui non magis assisteret Deo suo, quàm tu, & qui non magis recognosceret Dei beneficia, si recepisset gratias, quas tu sola Dei gratuita bonitate, & non proprijs meritis recepisti: propter quod potes te ipsum viliorem & inferiorem omni homine judicare, & merito formidare, ne ingratitudine, te Christus foras abijciat. Nec dico, per ista credas te esse extra gratiam, vel in mortali; quamvis alij peccatores habeant innumerabilia mortalia, quod est nobis occultum, tum propter fallax judicium, tum propter subitam contritionem, & divinæ gratiæ præviam infusionem.

*Modus se humiliandi.*

Dum

Dum autẽ te vilificando alijs peccatoribus comparas, non expedit ad eorum peccata descendere, sed solùm in generali cum eorum peccatis tuam ingratitudinem ponderando. Quòd si etiam in speciali velis eorum peccata videre, potes eadem peccata in te quadam similitudine transformare, sic te in tua conscientia increpando: Ecce ille est homicida, & ego miser quoties occidi animam meam? Ille fornicator & adulter est, & ego tota die fornicor & adultero, à DEO meo oculos avertendo, & diabolicis suggestionib⁹ me supponendo, & sic de alijs. Si autem videris, quòd diabolus te velit in talibus responsionibus quodammodo per talia ad desperationem inducere, tunc omissis talibus increpationibus, in spem assurgas, considerata bonitate & clementia Dei tui, qui tot te beneficijs iam prævenit, nec dubium quin opus

*Quomodo quis seipsum omnium vilissimum existimare possit.*

ſuum in te velit perficere, quod in cæpit. Cõmuniter tamen de homine ſpirituali, qui aliqualem Dei notitiam iam percepit, de hac deſperatione timere non expedit, dũ toto ſtudio ad ſe increpandum invigilat. Illud tamen poſſet accidere, imò ſæpè accidit in homine incipiente, & ſpecialiter, quem Deus liberavit à multis periculoſis ſceleribus, quibus fuerat involutus. Ex his quæ ſuprà iam perſtrinxi, generabitur in te virtus illa, quæ eſt mater & origo cuſtoſq; virtutũ, ſcilicet humilitas, quæ interiores oculos aperit ad Dei cõſpectũ, cor humanũ ab omni ſuperflua cogitatione purgando. Nam dum homo in ſuã reſilit parvitatẽ, ſeipſum vilificando, ſe increpando, ſe deteſtando, ſuam nihileitatẽ cõſiderando, ſibi ipſi intentiſſimè diſplicẽdo, & hæc & ſimilia cogitando & talem ſe verè exiſtimando, in tantũ circa propria negotia occupatur, quòd

*Quanta præſtet virtus humilitatis.*

quod omnis alia inutilis cogitatio evanescit. Et sic, dum anima omnia audita, visa, & temporaliter operata, à se repellit, & in oblivionem adducit, incipit ad seipsam redire, & modo mirabili in seipsa convalescit, & sic ad originalem iustitiam & cœlestem puritatē appropinquare incipit: sic dum in seipsa reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, & in se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum angelicum spiritum, & divinum: & ex tali contemplatione animus exardescit ad bona cœlestia, & omnia temporalia à longè conspicit, tanquam nihil. Per hoc illa perfectio charitatis incipit in mente fervescere, quæ velut ignis consumit omnem rubiginem interioris hominis, atque sic totam animam occupat charitas, & non est quo intret vanitas. Nam quicquid cogitat, quicquid loquitur, vel operatur, totum pro-

*Pefecta charitas non solùm foras mittit timorē sed etiam vanitatē & inanē gloriam.*

venit ex dictamine charitatis. Vnde securè potest alijs prædicare sine detrimento, sine inanis gloriæ periculo. Neque enim (ut jam dixi) potest aliqua vanitas subintrare, vbi charitas totum occupavit. Nunquid iam respectũ habebit amplius ad aliquod commodum temporale, qui omnia reputat velut stercus? Sed & ipse laudis appetitus, nunquid animum ejus poterit subintrare, cùm se videat velut stercus vilissimum coram Deo, miserum abominabilem, & ad omnia peccata proclivem, nisi eum sua benignitate manus conditoris cõtinua cõservaret? Quomodo iam extolli poterit de quocunque bono opere, qui luce clariùs videt se nihil posse penitus agere nisi continuè de hora in horam divina virtus quodammodo cogat eum atque constringat? Quomodo jam sibi aliquid attribuet, ac si à seipso proveniat, qui non

non dicam centies, sed etiã millies est expertus suam impossibilitatem in quibuscumque bonis operibus magnis & parvis. & qui toties cognovit se non posse, dum voluit, & qvando (ita dicam) non voluit, nec curavit, nec super talibus cogitabat, viderit se subitò divinitùs excitatum fervore mirabili ad illa facienda, quæ priùs cum omni conatu suo implere non poterat? Nam & talem impossibilitatem idcirco DEUS tam longo tempore dominari permittit in homine, ut homo discat humiliari, & ut nunquam in seipso inaniter glorietur, sed DEO attribuat omne bonum, non solùm ex consuetudine quadam, sed potiùs ex intimis cordis sui: ut pote, qui ex propria experientia doctus, luce clariùs videt, quòd non solùm non potest operari, *sed nec* IESUS, *dicere, nisi in Spiritu Sancto*: & nisi ille donaret, qui dicit: *Sine me ni-* 1. Cor. 12.

Ioan: 15. *hil potestis facere.* Vt jam recogitã-
do ex totis animæ suæ viribus,
Domino confiteatur & dicat: *O-*
Isaia 26. *mnia opera nostra operatus es in nobis*
Ps. 112. *Domine.* Ac cum Psalmista cla-
met: *Non nobis Domine, non nobis sed*
*nomini tuo da gloriam.* Non igitur
tali timenda est vana gloria, quan-
do jam Dei gloria, & animarum
zelus eius præcordia totaliter oc-
cupant. Ecce jam summariè per-
strinxi, & in quodam breviloquio
posui ea, quæ sunt necessaria ho-
mini in seipso, quantum ad vitæ
suæ perfectionem, si utiliter, &
sine periculo vult animæ suæ
procurare salutem Et hæc qui-
dem sufficerent homini illustra-
to, & altum intellectum haben-
ti, & qui in operibus spiritualibus
longum habuisset exercitium, quia
in his quæ posui breviter, tanquam
in quibusdam vitæ perfectæ prin-
cipijs, recolligere posset quæcum-
que alia perfectorum actuum e-
xerci-

xercitia. Nam his tribus præmissis perfectè servatis, scilicet voluntaria paupertate, taciturnitate, & interna mentis exercitatione, de quibuscumq; aliis exterioribus actibus quomodo essent faciendi, homo facilè judicaret. Quia tamen non omnes possunt capere faciliter breviter dicta, paulo diutiùs insistemus circa particulares actus virtutum.

*Tria principia vitæ spiritualis*

# CAPVT IV.

## QVOD PER INSTRVCTOREM idoneum citiùs & faciliùs pervenitur ad perfectionem, quam per seipsum.

Sciendum igitur, quod homo faciliùs & in breviori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem cujus regimine duceretur, cujus obedientiam in omnibus actibus parvis & magnis totaliter sequeretur, quàm si ali-

*Alteri subesse ab eoq; regi & instrui*

*magis salutare.* si aliqvis conetur seipsum perficere, quantumcumq; vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam. Imò plus *Nota.* dico, quòd nunquam Christus suam gratiam ministrabit, sine quo nihil possumus, si homo habet à quo possit instrui & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti, se credens sibi sufficere, & per se posse investigare, & invenire quæ sunt vtilia ad sa- *Via obedientia.* lutem, Ista enim via obedientiæ, *Via regia.* est via regia, quæ homines inoffenso pede ducit ad summitatem scalæ, cui Dominus apparet innixus. Hanc viam tenuere omnes Sancti Patres in eremo, & breviter omnes, qui ad perfectionem attigerunt, per hanc semitam processerunt. Nisi fortè Deus aliquos per seipsum instruxerit ex privilegio gratiæ singularis, deficientib⁹ eis, nec invenientibus, qui eos fo-

ris instruerent; quia tunc pietas divina per se supplet, quod exteriùs minimè reperitur; si tamen corde humili & ferventi ad Deum accedunt. Et quidem isto tempore (hei nobis miseris) in aliquibus locis quasi nullus reperitur, qui alios de perfectione vitæ instruat, quin potiùs, si homo velit tendere ad Deum, inveniet retrahentes multos, & quasi neminem adiuvãtem. Quamobrem expedit, ut tunc homo ad Deum toto corde recurrat, & ab eo instrui cum omni orationum instantia & cordis humilitate deposcat, & se in Deum proijciat, se illi totaliter committendo, ut ipsum benignus tanquã orphanum sine Patre recipiat, qui neminem vult perire, sed vult ad cognitionem veritatis quoscunq; venire Igitur ad te dirigo sermonem meum, qui magno cordis affectu Deum desideras invenire, qui ad perfectionem anhelas, ut ani-

mabus aliorum vtilis esse valeas. Ad te ergo nunc dirigo sermonem meum, qui corde simplici & non duplici accedis ad Deum, qui quæris virtutum intima penetrare, qui per viam humilitatis pervenire desideras ad gloriam maiestatis.

## CAPVT V.

### DE OBEDIENTIA SERVANDA, statutis & ceremoniis Ordinis.

*Dici solet, Religiosus vel Ceremoniosus vel Criminosus quare inclinationes & omnes ceremoniæ Ordinis adamussim servanda*

DVobus igitur jam præmissis, scilicet paupertate & taciturnitate, tanquam fundamentis primarijs, Christi athleta se accingat, ut obedientiæ regulam & semitam in omnibus & per omnia teneat, quantum poterit, inconcussè scilicet regulam, constitutiones, rubricas ordinarij & aliorum librorum, omni loco & tempore, intus, & extrà in refectorio, dormitorio, in choro, inclinationes, & postrationes, surgendo & stando, & o-

mnes

mnes majorum ordinationes ad unguem teneat, & servet quantum potest, semper cogitans verbum Christi. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit* Deinde ad coaptandum corpus suum totaliter inobsequio Christi Iesu coerceat, ut omnes actus & mot⁹ corporis sint omni morum honestate compositi, secundum regularium disciplinam. Neque enim poteris unquam animam ab inordinatis cohibere, nisi priùs studueris corpus tuum subjicere disciplinæ, ipsum restringendo non solùm ab omni actu, sed etiam ab omni motu incongruo & inepto.

*Luc. 10.*

*Prompta obedientia exhibenda.*

# CAPVT VI.

## DE MODO REGVLANDI

*corpus circa cibum & potum.*

IGitur regulationem corporis intendendo: Primò contra Gulam insistas. Nisi enim contra hanc victoriam habeas, invanum laboras

*Gula quomodo frenanda.*

laboras in acquisitione aliarum virtutum: istum autem modum observes. Primò, ut nihil tibi in speciali procures, sed cibarijs, quæ fratribus cõmuniter apponuntur, sis contentus. Secularibus volentibus tibi xenia mittere, nullatenus acquiescas pro tua persona: si tamen volunt conventui mittere, mittant. Invitationes fratrum extra refectorium nullo modo recipias, sed continuè refectorium teneas, omnia jejunia Ordinis observando. Et hoc intellige, quãdiu Christus te in sanitate conservabit. Nam si infirmus fueris, juxta infirmitatis necessitatẽ te tractari permittas, nihil tibi penitus procurando, sed omnia cum gratiarum actione recipias, quæ tibi fuerint ministrata.

*Intelligendus est in prãdio & non in collatione vespertina*

Vt autem non excedas in sumptione cibi & potus, debes naturam tuam diligentissimè examinare, quanto cibo & potu valeas sustentari, ut scias ju-

dicare inter superfluum & necessitatem. Hoc autem habeas pro regula de cibo generali, ut saltem de pane comedas sufficienter, quã tum natura requirit specialiter dũ jejunas: nec unquam credas diabolo suadenti tibi facere abstinentiam de pane. Et in hoc poteris experiri quantum natura requirit vel quid sit illi superfluum, si tempore binæ refectionis post nonam inveneris te gravatum, & in stomacho sentias quendam adorem, ut orare, scribere vel legere nequeas: communiter hoc accidit propter excessũ: idem si sentias post matutinas, quando cœnasti. Similiter quoque quando jejunas, si post completorium idem gravamen esse percipias. Igitur comede satis de pane, sic tamen, ut post comestionem sis paratus legere, scribere, vel orare. Si tamen illa hora non esses ita aptus, sicut alijs horis, dum tamen non sentires grava-

*quãdo aut nihil aut parum panis, tantũ conceditur, in ordinarijs jejunijs Ecclesiæ. indicivum nimietatis cibi & potus*

gravamen illud, ut prædixi, non est signum excessus. Cogita igitur tuæ naturæ sufficientiam modo prædicto, vel aliter, prout docebit Altissimus, à quo debes suppliciter postulare. Sis sollicitus valde, illum modum continuè observare, & semper in mensa quicquid comedis æstimare: & quando per negligentiam excesseris, non sinas absq; pœnitentia digna pertransire. De potu verò nescio tibi regulam ponere, nisi quòd paulatim te restringas de die in diem minus bibendo: ita tamen quòd non sitias nimis de die & nocte: specialiter autem cùm potagium comedis, potes faciliùs pertransire cum potu temperato; ita tamen quòd sufficiat ad cibi digestionem. Nullo tamen modo bibas extra comestionis horam, nisi in sero, quādo jejunas, & tunc valdè temperatè, vel nisi propter laborem itineris, vel quacunque alia lassitudine. Bibas autem vinum

num ita lymphatum, quòd vini fortitudo deficiat. Et si esset forte, apponas aquæ medietatem, vel plus, & magis, vel minus, secundùm quòd Dominus inspirauerit.

## CAPVT VII.

### DE MODO CONSISTENDI in Mensa, quo ad vtrumq; hominem.

PVlsato itaque cymbalo, cum omni maturitate lotis manibus, in claustro sedebis; nola pulsata, refectorium introibis, & non parces tibi, cum omni fortitudine tua vocis, & corporis modestia, Dominum benedicens; & iuxta ordinem tuum te collocabis in mensa, cogitans apud te corde pauido, quod debeas peccata populi manducare. Cor tuum etiam præparabis ad intelligētiam lectionis, quæ legitur in mensa: vel, si lectionem non habeas, ad meditationem aliquam spiritualem, ut nequa-

*Institutio monachalis tempore comestionis & prandij.*

quaquam totus comedas, sed corpore suam refectionẽ habente, anima nullatenus defraudetur. Positus autem ad mensam, vestimenta decenter coaptes, cappam super genua retorquendo. Statue autem pactum tecum omnino, ut nullo modò circumspicias comedentes, sed solùm tibi apposita videbis. In principio, cum sederis, ne extendas subitò manus ad incidendum panem, sed stes aliquamdiu super te, usque quo saltem dicas *Pater noster.* & *Ave Maria*, pro animabus defunctorum, qui in purgatorio existũt, magis indigentium. Hoc autem generaliter habeas, quod omnem actum, & omnem corporis motum cum quadam modestia facias. Si panem diversum, durum, mollem, album, aut aliter factum ante te habeas, illum comedas qui est vicinior, & libentiùs comedas illum, ad quem minùs sensualitas inclinatur. Nunquam in mensa ali-

quid

quid petas, ſed permitte alios pro te poſtulare: quòd ſi non facerent, patientiam habe. Non teneas cubitos ſuper menſam, ſed ſimpliciter manus. Non teneas crura divaricata, nec pedem alteri ſupponas. Non recipias ſcutellas duplices, vel aliud quodcũque, niſi tantum quantum communiter omnes ſij habent. Quamcunque pitantiam, à quocunque miſſam, etiam à Priore, non comedas, ſed ſi potes, competenter in fragmẽtis abſcondas, vel in ſcutella. Vbi nota quòd mos Deo gratus eſt, aliquid de potagio Chriſto pauperi ſemper in ſcutella dimittere: ſimiliter aliqua panis fragmenta, non cruſtas, imò illas comedas, & de pane confracto Chriſto dimittas. Nec nimis cures, ſi de hoc aliqui murmurent, dummodo Prælatus tibi non mandaverit oppoſitum. Et generaliter de omni eo, quod comedis, aliquam particulã Chri-

*Mos Deo gratus, pauperibus condiuidere.*

ſto

sto pauperi dimittas & bolos meliores & non viliores. Sunt tamẽ aliqui, qui vilia tantùm donant Christo, sicut porcis fieri consuevit. Si autem cum uno pulmento sufficienter potes comedere de pane, in secundo pulmẽto aliquid de pane reponas, & Christo dimittas. Et, si tibi Dominus donaverit, potes facere quasdam mirabiles abstinentias Deo gratas, & hominibus incognitas. Si est tibi cibus insipidus, ex defectu salis, vel alia quacunque causa, noli apponere ibi sal, nec aliud condimentum, propter Christum felle & aceto potatum: sed sensualitati resistas. Similiter quæcumque salsamenta, quæ ad nihilum valent nisi ad gulæ incitamẽtum, dimittere occultè potes. Quandocunque aliquis bolus gratus tibi circa finem apponitur, istum dimitte propter Deum. Similiter caseum, fructus, & huiusmodi, sicut nectar, vinum

*Paucis cõtentari.*

melius

melius apportatũ, & cætera, quæ non sunt necessitatis pro salute corporis humani: imò frequenter est noxium, dum non prodest, quod delectat. Si dimiseris propter Christum hæc, non dubito quin tibi præbebit in dulcedine Christus Dominus cibum consolationis spiritualis, & etiam in illo cibo, quo contentus es propter Christum. Et ut meliùs & faciliùs possis à quibuscunque volueris abstinere, ponas in corde tuo, quando vadis ad mensam, quòd pro peccatis tuis debes in pane & aqua abstinere. Vnde panis sit solus cibus: pulmentum tamen, non pro cibo adijcias, sed ut possis panem convenientiùs deglutire. Tene, quod si hoc posueris in corde tuo, videbitur tibi magna pitantia, habere aliquid de pulmento. Et observes quòd non ponas offas multas in paropside, sed sufficiat tibi panem intingere.

*Temperantia in cibo sumendo.*

Quan-

Quando verò pulmentum non
bueris, comedas panem unum,
dimidium, vel paulò plus, vid
cet quando bis comesturus non
& naturæ satisfacies etiam si
non haberes. De multis tali
actibus, quos tibi exprimere no
possum, te instruet Christus, si
ipsum ex corde recurreris, & to
spem in ipso posueris. Quis en
exprimere valet modos innum
ros, quos tibi Deus demonstrab
Sis etiam attentus, ne sis de il
qui finem non faciunt in edend
imò quàm citiùs poteris te expe
as, servata debita honestate,
*Debitas gratias Deo referre.* magis lectioni possis attende
Cùm â mensa surgis, ex toto c
de regratieris Altissimo, qui t
contulit bona sua, & qui tibi vi
tutem aliquam præstitit, ne ti
sensualitas prævaleret. Non pa
cas voci tuæ, sed secundùm pos
bilitatem tuam gratias age bon
rum omnium largitori. O ch
rissime,

tissime, cogita quàm innumerabiles sunt pauperes, qui ad delicias maximas reputassent, si habuissent, tantummodo panem, quem tibi cum alijs cibarijs Dominus ministravit. Ita enim veraciter debes cogitare, quòd Christus est, qui tibi dedit, imò plus, quòd in mensa ipse tibi servivit. Vide ergo cum quanta disciplina, cum quanta reverentia, maturitate, & tremore, debes in mensa cõsistere, ubi vides præsentialiter Deum tuum in propria persona ministrare. O quàm beatus esses, si tibi desuper daretur mentalibus oculis ista cõspicere. Videres enim Sanctorum multitudinem copiosam cum Christo per totum refectorium discurrere.

## CAPVT VIII.

### DE MODO PERSEVErandi in sobrietate & abstinentia.

VT autem in tali modo sobrietatis

tatis & abstinentiæ jugiter perseveres, sta iugiter in timore, & Deo omnia bona quæ habes totaliter reeognosce: ab ipso perseverantiam pete. Et si, non vis corruere, noli alios iudicare, nec cõtra eos indignationis spiritu movearis. Si eos vides in edendo debitum ordinem non servare, ne scandalizeris, sed eis compatiaris, ex corde, & pro eis ora, & eos in corde tuo quantum potes excusa, cogitando, quòd nec tu potes aliquid, nec ipsi possunt nisi, quātùm Christus porrigit manum suam, qui non pro meritis tribuit, sed pro suo beneplacito voluntatis. Si hæc cogitaveris, firmus eris. Nam quæ est causa, quòd multi quandoque incipiunt multa facere in abstinentia, & alijs, qui non perseverant, corpore torpente & spiritu frigescēte? Certè nulla alia nisi propter eorum elationem & præsumptionem; dum de se præsu-

*Elatio & præsumptio multorum ruina.*

men-

mentes, alijs indignantur, eos in cordibus suis judicando: & ideo Deus subtrahit ab eis donum suum, & vel spiritu frigescunt, vel ex indiscretionis vitio plus facientes quàm oporteret, infirmitatem incurrunt: & sic tandem dum ad restaurationem corporis intendunt, in hoc quoque metas excedunt, efficiunturque gulosi plusquàm alij quos primitus judicabant, sicut ego de quibusdam cognovi. Nam istud communiter accidit, quòd quicunque alium suum in aliquo judicat, Deus tandem permittit eum in illum defectum cadere, vel majorem. *Ergo servias Domino in timore.* *Psal. 2.* Et quandocunque te sentis in exaltatione ob memoriam beneficiorum quæ tibi donat Altissimus, *apprehende disciplinam* increpationis & propriæ reprehensionis, *ne quando irascatur tibi Dominus, & pereas de via justa.* Si sic feceris, stabilis permanebis.

Ecce indicavi tibi modum Altissimo gratum. contra gulæ dominium ad quem pauci pertingunt, qui non excedant, vel plus vel minus edendo, vel debitas circumstantias non servando.

## CAPVT IX.

### DE MODO SERVANDO in somno & vigilijs, lectionibus, orationibus, contemplationibus Matutinis & alijs Horis dicendis.

POst hæc nitaris contra somnum & vigilias modum magis debitum custodire; in quo valde difficile est habere mensuram. Vbi nota; quòd duo sunt in quibus specialiter imminet periculum corpori, & per consequens animæ, si discretionis limites excedas: scilicet in nimia abstinentia, & vigilia inordinata; nam in alijs virtutum exercitijs non sic est periculum in

*Vitandæ nimia Vigilia.*

excessu.

excessu. Et propter hoc diabolus habet istam astutiã finaliter, quod quando videt hominẽ spiritu ferventem, immittit ipsi suggestiones, ut faciat abstinẽtias & vigilias magnas, ut per hoc inducat eum ad tantam corporis debilitatem, quòd infirmetur & debilitetur, ita ut ulteriùs ad nihil valeat: imò, ut supra dixi, ut plus postea comedat & dormiat quàm alij. Et talis nunquã audet assumere exercitium in vigilijs & abstinentijs, recognoscens se per talia infirmatum, sibi diabolo suggerente & dicente: non facias talia: nescis quòd ob talia fuisti infirmus? cùm tamen non fuerit per vigilias & abstinentiam infirmatus, sed quia in his discretionis tramitem non servavit. Vnde homo simplex non intelligit sophismata diabolica, quibus ex utraq; parte decipitur. Vnde sub colore boni ipsi dicit: Tu fecisti tot peccata, quando poteris

ſatisfacere, Vel ſi non fecerit peccata enormia, dicit ei: O quanta paſſi ſunt Martyres & Eremitæ. Et credit ſimplex homo, quòd cùm talia habeant ſpeciem boni, non poſſint eſſe niſi à Deo: & Deo permittente hoc fit, maximè quando talis primò cum magna humilitate & tremore, & cum inſtantia orationum non recurrit ad Deum, qui eum illuminaret & dirigeret, qùando non reperiret hominem directorem. Homo enim qui ſub obedientia ſancta conſiſtit, & continuè per regulam directionis dirigitur, & inſtruitur, à talibus deceptionibus tutus eſt, etiam ſi ipſe Pater ſpiritualis aliquando aliqualiter erraret. Deus enim propter obedientiæ totum ſibi diſponit ad bonum, ſicut probari poſſet multis auctoritatib⁹ & exemplis. Itaq; circa ſomnum & vigilias, talis modus poterit obſervari; ut ſcilicet tempore æſtiuo poſt prándiũ, poſtquam

quam campana pro ſilentio eſt pulſata, ſubinde quieti membra componas: quia illud tempus ad ſpiritualia exercitia minùs aptum eſt, & per hoc in nocte ampliùs poteris vigilare. Hoc tamen generaliter debes obſervare; quotieſcũque vis dormire, ut ſemper vel Pſalmos rumines vel ſpirituale aliquid mediteris, quod etiam ſomno incipiente, quandoq; tibi in imaginatione præſentetur. In ſero hoc communiter habeas, ut non multum vigiles: nam per vigiliam ſerotinã impeditur attentio & devotio in matutinali officio. Eſt enim cõmuniter talis ſomnolentus, gravis & indevotus, quando nimis vigilat in ſero: imo aliquando ex toto à matutinali officio cogitur remanere. Igitur ſtatuas tibi aliquas breves orationes, vel aliquam lectionem, vel meditationem, quibus in ſero, antequam dormias, breviter occuperis. Et

*Eunti cubitũ quid obſervandum.*

*Quid meditãdum.*

inter alias meditationes, ſi in hoc fertur tua devotio, poteſt tua mens ferri ad ea quæ in paſſione Domini illa hora contigerunt, & ſimiliter faciendo in omnibus alijs horis, juxta modum quem habes à B. Bernardo traditum, vel prout tibi Dominus inſpiraverit. Non tamen eſt omnium devotio uniformis, ſed alius plus alio excitatur. Alijs enim ſufficit in ſua ſimplicitate in foraminibus petræ habitare. Nullus tamen, quantumcunque pollens ingenio, debet omittere ea, quæ poſſunt eum ad devotionem excitare: imò quæ legit vel ſtudet, debet ad Chriſtum inflectere, cum ipſo loquendo, & ab ipſo intelligentiam poſtulando. Sæpè, dum actu ſtudet, à libro debet ad horam oculos avertere, & oculis clauſis ſe in Chriſti plagis abſcondere, & iteratò ad librum convertere. Etiam quandoque debet à ſtudio ſurgere & in cœlum flexis geni-

*Circa ſtudiū & lectionem.*

*Aliquādo med tandum, ſu-*

genibus aliquam ignitam orationẽ cum brevitate ad Deum fundere, vel etiam cellam egredi, & Ecclesiam, claustrum, vel capitulum circuire, secundum quòd impetus spiritus confert; & aliquando oratione formata, vel informi, per gemitus & suspiria de ebullitione cordis divinum auxilium implorando, vota sua & desideria Altissimo præsentando, Sanctorum ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoq; agitur sine Psalmis, & sine quibuscumque orationibus exteriùs formatis verbo, quamvis hoc aliquando initium sumpserit, vel ex aliquo versu Psalmi, vel alterius Scripturæ, sive alicujus Sancti, nobis interdum, Deo inspirante interius, proprio desiderio vel cogitatu ad inventũ. Cùm autem ille fervor spiritus transierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam revocare ea, quæ paulo ante studueras,

*spirandũ, vel orandum. Sãctorũ imploranda auxilia.*

& tunc dabitur tibi clarior intellectus: quo facto, iteratò ad studium redeas, vel ad lectionem, & iteratò ad orationem, & sic alternando commutes. Nam per hujusmodi commutationem in oratione maiorem reperies devotionem, & in studijs intelligentiam clariorem. Iste autem fervor devotionis post studium lectionis, licet quacunque hora indifferenter veniat, secundùm quod ille dignatur immittere, qui suaviter dispònit omnia, prout vult, tamen cōmuniter post matutinas ampliùs evenire consvevit. Et ideo in sero parum vigiles, ut totum spiritum post matutinas in studio & oratione valeas occupare. Igitur in nocte, dum audis horologium, vel quodcunque signum, statim excussa omni prigritia, à strato discedas, acsi esset ignis accensus & flexis genibus cum fervore aliquam orationem effundas; saltem, *Ave Maria*

*De lectō cito surgēdum excussa omni pigritia, dicēdo cum tribus Magis. Hoc si*

*Maria*, vel aliud in quo animus tuus magis inflammatur. Vbi nota, quod ad hoc, ut faciliter, & sine molestia, imò cùm quadam alacritate tunc surgas, multùm facit, si supra stratum durum dormias, & jaceas indutus. Hoc debet habere generaliter servus DEI, ut omnem mollitiem & complacentiam fugiat: ita tamen, ut discretionis limites non excedat. Habeas igitur stratum de palleis. quòd quanto amplius expressione duratæ extiterint, gratiores debes habere, & super ipsas sufficiat tibi, flaciatam, seu coopertorium habere. Pro tegumento autem contra frigus stragulam vnam, vel duas, pro temporum diversitate, secundùm quod tua necessitas postulabit, habebis. Ad caput autem sacculum plenum paleis habeas, & fugias mollitiem pulvinaris, & similiter omnes mollities alias assuetas, sicut de sudarijs sub maxilla

*gnum magni Regis est.*

*Molities lecti fugienda.*

xilla, vel ad collum, seu ad zonã: nisi fortè de nocte in æstivo tempore propter sudorem: nam talibus natura non indiget, sed sunt quædam malæ consuetudines introductæ. Dormias etiam indutus, sicut de die. nisi quòd sotulares debes extrahere & corrigiam relaxare. Potes tamen tempore æstivo magni æstus cappam detrahere, & cum solo scapulari quiescere. Si per istum modum dormias, non erit tibi molestum surgere, imò citiùs & cum alacritate cõsurges. Dum igitur Officium de B. Virgine dicitur, stans, non apodiatus, sed super pedes, cum omni attentione, competẽti voce distinctè & alacriter dicas Officium Virginis gloriosæ, & te sic habeas, quasi eam cerneres corporalibus oculis coram te. Officio Virginis terminato, & completa corporis necessitate, ad Ecclesiam vadas, vel ad claustrum prout majorem devotio-

*Saltem secundùm constitutiones.*

*Dormiendum in tunica, cum cingulo & caligis.*

votionem invenies, Vbi nota, quòd servus Dei, eundo & redeundo ad cellam, vel quocunque alio loco, non debet esse ociosus corde, sed vel Psalmos, vel aliquid spirituale ruminare. Potest tamen ante inchoationem Officij chorum intrare, & aliquid spirituale præmeditari, ut devotiùs & attentiùs cum alijs Psalmos valeat decantare. Pulsatis igitur Matutinis, & factis venijs vel inclinationibus, psallendo sta super pedes tuos, non apodiatus, sed corde & corpore sta viriliter coram DEO tuo, ipsius laudes cum omni alacritate decantare recogitans, quòd sine dubio sancti Angeli sunt præsentes; in quorum conspectu psallens DEO, eos debes continuè revereri, utpote qui faciem Dei Patris in cœlis vident, quam tu nondum, nisi in speculo & in ænigmate contéplatis. Nunquam parcas voci, quantum potes, discretione regente.

*Quomodo divinum Officiũ sit persolvendum.*

*Alta voce cantandũ*

*quod & monuit S. P. Dominicus.* Non prætermittas jota unum, tam de Psalmis, versibus, dictionibus, syllabis, quàm de voce. Et si non potes æquali voce cum alijs, saltẽ cum voce submissa. Et si potes, Psalm: & hymnos cantes in libro, ad DEUM intellectum habens in Psalmis & cæteris orationibus, vt cõsolationẽ spiritus reportes. Tunc oportet te esse sollicitum, ne in actu exteriori, scilicet in gestu corporis, & sono vocis aliquid appereat levitatis: sed tunc specialiter oportet te servare mentẽ, & debitã gravitatẽ. Nam spiritualis lætitia in quandam cõvertitur levitatem, nisi fræno discretionis actus comprimantur extrinsecus. Toto co-

*Cum attentione cantandũ & psallẽdum.* natu tuo facias, *ut psállas spiritu & mente.* Nam magnus labor est homini, præcipuè incipienti, nondum in DEO roborato, tempore Psalmodiæ mentem à vagatione constringere. Semper in choro teneas locum tuum, & communiter

te po-

te ponas in vno loco, nisi fortè alius venerit, cui meritò cedere oporteret. Si in choro prævideris aliquem defectum, per te, vel per alium supplere satage. Vnde nota, quòd DEUS gratum haberet, si pridie prævideres rubricas, & omnia dicenda in choro, & paratus esses ad omnes defectus & negligentias aliorũ supplendas. Sed caveas, quod dum in choro est aliqua cõtroversia super ijs quæ sunt dicenda, vel cantanda, tu nec os tuum aperias, etiam si certus esses de eo quod dicendum esset. Sunt multi, qui pro uno modico tantũ litigant. Minus enim malum esset errare quàm litigare. Si autem vnico verbo posses errorem chori corrigere, tunc facere debes, specialiter si tu es de provectioribus in choro. Si autem te vides spiritu impatiente agitari, melius quòd tu studeas motum animi tui subjugare, Si autem aliquis male

*Prævidere legenda vel cãtanda.*

*Melius est errare & tacere in choro quã litigare*

male legit vel cantat, vel quocunque modo ineptè se habet, non submurmures, vel corrigas. Est enim species cujusdam jactantiæ talis correctio. Idem in lectione, quantūcunq; quis malè & ineptè legat, nec etiam aliquod signum facias, quia hoc est signum mentis vento elationis inflatæ. Quando multi subitò currunt ad aliquē defectum supplendum, non te ingeras. Si autem nullus esset supplens, tunc cum omni modestia ad supplendum occurras: sed si potes, taliter defectum anticipes ne valeat deprehendi. Cave tamen ne duas lectiones immediatè legas, vel duo Responsoria (nisi tātus esset defectus fratrum, quòd non posset aliter fieri) & maximè vbi est multitudo fratrum. Item non de facili te ingeras, si juvenis es, ad dicenda ea quæ pertinent ad antiquos. Non circumferas oculos hinc & inde: nec ali-

*Submissio & modestia oculorum.*

quem

quem videas quid faciat vel quomodo ſe habeat: ſed oculis in terram demiſſis, vel ſurſum erectis, vel clauſis: vel ad librum ſtes. Sẽper quando dicis divinum officiũ, dum ſtas vel ſedes, non teneas manus ſub mento, ſed ſub cappa, vel ſcapulari, quando non decens eſt cappam habere. Non teneas, unum pedem ſuper alium, vel tibias divaricatas, ſed cum omni modeſtia, ut qui es in præſentia DEI tui. Caveas ne digitos teneas in naribus. Sunt enim aliqui, qui in hoc & talib⁹ miſerijs, non ſine diaboli ſtimulatione occupantur, divertentes à divino officio, & indevotionem non modicã oſtendẽtes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non poſſunt exprimi: ſed ſi humilitatem habueris & integram charitatem, de omnibus unctio te docebit. Tu qui legis, attende: quia cùm hinc ponantur multi actus, qui ad vnam circum-

*Compoſitio membrorum.*

ſtanti-

ſtantiam variantur, non propte
hoc iſta improbes, ſi aliquãdo ali
ter fieri oporteret: ſicut de loquē
do in choro, cùm error apparet
quia ad antiquum benè pertine
emendare. Generaliter tamen ve
rum eſt, quòd *ſervum Dei litigar*
non decet. Minus malum eſt, pa
2. Tim 2. tienter tolerare errorem, quàm
contentionibus deſervire: mult
magis in choro, vbi tales conten
tiones ſcandaloſæ, & attentioni
ac tranquillitatis mentis ſunt con
turbativæ. Similiter cùm dic
quòd ſemper legat vel cantet in
choro. Quandoque enim poſſ
oriri talis in mente devotio, quæ e
cantu impediretur, & quòd meli
us eſſet apud ſe dicere officium
præcipuè vbi alij eſſent, qui ſuffice
rent ad cantandũ: & ſic de mult
alijs, prout meliùs te docebit A
tiſſimus, ſi contemptis omnibu
ei corde ſimplici volueris adhær
re. Non enim debet ſibi quiſqu
facili-

faciliter credere, ut oppoſitum faciat, niſi longo virtutum, exercitio diſcretionis ſpiritũ ſit adept°.

# CAPVT X.

## DE MODO PRÆDICANDI.

IN prædicationibus & exhortationibus utere eloquio ſimplîci, & cõfabulatione domeſtica ad declarationem actuum particulariũ, & quãtum potes, inſiſte cum exemplis, ut quilibet peccator, habens illud peccatum, videatur percuti, acſi ſibi ſoli prædicares: taliter tamen, quòd verba videantur ab animo procedere non ſuperbo, vel indignanti, ſed magis ex viſceribus charitatis & pietatis paternæ, ſicut pater condolet peccantibus filijs, vel in infirmitate gravi, vel fovea grandi jacentibus, quos nititur extrahere, & liberare, & fovere ſicut mater, & ſicut qui gaudet de profectu eorum, & de gloria Paradiſi ſperata. Talis enim modus

*Quomodo cum fructu prædicandum.*

modus consuevit esse proficuus audientibus. Nam de virtutibus & vitijs locutio generalis parum excitat audientes. Item in confessionibus, út sive blandè consorteris pusillanimes, sive duriùs terreas induratos, semper viscera charitatis ostẽdas, ut semper peccator sentiat, quòd verba tua ex pura charitate descendant. Et ideò charitativa verba, & dulcia semper pungitiva præcedant. Tu itaque, qui desideras proximorum animabus esse vtilis, primò ad DEUM ex toto corde recurre, & hanc petitionem ab eo simpliciter postula, ut tibi illam charitatem dignetur infundere, in qua est summa virtutum, per quam possis perficere quod optas.

## CAPVT XI.

### REMEDIA QVÆDAM

*contra tentationes provenientes ex suggestione diaboli.*

Ad

AD honorem Domini noſtri IEsu Chriſti dícam tibi remedia contra aliquas tentationes ſpirituales, quæ in iſto tempore abundant in terra ad purgandum & probandum electos: quæ quamvis expreſsè manifeſtæ non ſint de aliquo principali articulo fidei: tamen qui benè reſpicit cognoſcit, quòd ſunt in periculo deſtructionis principalium articulorū fidei, & quòd præparant cathedram & ſedem Antechriſto. Quas tentationes nolo exprimere, ne ponam materiam & occaſionem ſcandali, ſeu offendiculum coram ſimplicibus & imperfectis. Sed monſtrabo tibi, per quam ſpiritualem diſcretionem debes te regere, ſi non vis eſſe victus à prædictis tentationibus. Quæ prædictæ tentationes veniunt duobus modis. Primò quidem per ſuggeſtionem & illuſionē diaboli, qui decipit hominē in regimine ſui, quod deberet habere

*Tentationes fidei ex duab⁹ cauſis.*

erga

erga Deum, & in hoc quod est Dei. Secundò, per corruptam doctrinā aliquorum, & eorum modum vivendi qui jam venerunt in prædictas tentationes. Propter hoc volo tibi dicere, quòd regimen debes habere erga Deum, & illud, quod est Dei, si vis esse immunis à prædictis tentationibus: & pòst, quo modo debes regi erga alios, quā tum ad doctrinam & modum vivendi eorum. Primum ergo remedium contra tentationes spirituales huius temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorū est, quòd illi, qui volunt se subdere Deo, nō debeāt desiderare per orationem vel cōtemplationē, vel per alia opera perfectionis, visiones vel revelationes, vel opiniones quæ sunt supra naturam, & supra omnem cursum eorum, qui diligū Deum & timent per verissimum amorem; quia prædictum desiderium non potest esse desiderium sine

*Remedia adversus qualibet tentationes.*

*Non sunt optanda revelationes seu visiones, quia hoc ipsum temerarium est.*

ſine radice & fundamento ſuper biæ & præſumptionis: vel intentionis alicuius vanæ curioſitatis circa Deum, vel ſine fragilitate fidei. Et propter hunc defectum iuſtitia Dei dimittit ânimam quæ habet ante dictum deſideriũ & permittit venire in talem illuſionem & tentationem diaboli per falſas viſiones & revelationes, & falſas inductiones. per quem modum ſeminat maiorem partem tentationum ſpiritualium hujus temporis, & meditari facit eas in cordibus illorum, qui ſunt nuntij AntiChriſti, ſecundùm quod poteris videre, per ſubſequentia. Debes enim ſcire, quòd veræ revelationes & iudicia ſpiritualia ſecretorum deſideriorũ, neque per aliquem conatũ u ſtudium quod anima habeat in ſe, ſed tantùm veniunt ex pura bonitate Dei in animam, quæ eſt in magna humilitate, & in magno deſiderio Dei, & reverentia. Nec

etiam

*Nunquã teipsum quæras fugienda propria existimatio & complacentia.*

etiam exercitet se quisquã in magna humilitate & timore Dei propter hoc, ut hujusmodi habeat visiones & revelationes, & judici supradicta, quia in idem delictum caderet, in quo incidit per supradictum desiderium. Secundum remedium est, quòd in anima tu in tua oratione vel contemplationе non sustineas aliquam consolationem vel paruam, ex quo tibi videretur, quòd fundaret se præsumptione, & æstimatione, t ipsius, & postmodùm te ducit abusionem proprij honoris, & reputationis, & suggerit menti tu te dignum esse vel gloria & la de huius vitæ, vel gaudijs Paradisi: quia scias, quod anima, q sentit se in talem consolation venire, incurrit in plures malos rores, quia Dominus per suum stum judicium permittit, po diabolo augmentare prædicta cõsolationem, & accelerare & i

*Non facilè apparitionibus vel revela*

prim

primere in illa anima falsissima & periculosissima judicia & alias illusiones, quas consolationes putat esse veras. Heu, heu Deus meus, quot personæ sunt deceptæ per istũ modum. Et scias pro certo, quòd major pars raptuum, imò rabierũ nunciorum Antichristi venit per istum modum, & propter hoc cave, ne in tua oratione vel contẽplatione sustineas aliquam consolationẽ, nisi illam, quæ venit post perfectam notitiam & completum judicium tuæ humilitatis & imperfectionis & quæ facit perseverare dictam notitiam & antedictam opinionem in te, & in magnitudinẽ & altitudinem Dei per altam reverentiam, & cum magno desiderio honoris Dei, & gloriæ, & quòd antè dicta consolatio fundetur in prædictis. Tertium remedium, est, quòd omnem cogitationem, quantumcumque sit secreta, & secretò tibi appareat, quæcunque sit, ex quo

*tionibus credendũ non enim omni spiritui est credẽdũ.*

*Nullo modo admittendæ visiones cõ-*

*...tra fidem vel bonos mores.*

ex quo ducit cor tuum ad opinionem, vel infectionem, contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, & maximè contra humilitatem, vel contra honestatem, exhorrescas; quia sine dubio ex parte diaboli venit. E[illegible] appareret tibi aliqua visio sine illusione, & huiusmodi cognitione, de qua sis certus quòd venit ex parte Dei, & propter quam sis certificatus in corde tuo, quod illud, quod inducit visio, est Dei placitum, noli te firmare in dicta visione. Quartum remedium est, quòd nec propter magnam devotionẽ, nec propter magnam vitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquam sufficientiam aliam, quam vides in aliqua persona, vel aliquibus personis, sequaris eorum consilia, nec eorum modos ex quo cognoscis clarè & multum rationabiliter, quod eorum consilia non sunt secundùm Deum, & veram

*Incõsueta respõdeda, quę à Christo vel sãctis non sunt nobis tradita.*

veram discretionem, & per viam Iesu Christi & Sanctorum monstratam, & per sanctam Scripturã in dictis Sanctorum notificatam, & prædicatam. Et propter hoc non timeas, quod spernendo talia cõnsilia eorum pecces per superbiam & præsumptionem, dum hoc facis propter zelum & amorem veritatis. Quintum remedium est, quòd fugias & vites familiaritates & societates, illorum, & illarum, qui vel quæ dictas tentationes seminant & diffundunt, & vites illas Personas, quæ sustinent & laudant eas, & noli audire illorum verba nec collationes eorum, nec modos eorum velis videre, quæ tibi dæmon subministrabit, & ostendet magnum signum perfectionis in pluribus eorum verbis & modis: quæ si velles accipere, & ea illis credere, venires & rueres in pericula, ruinas, & præcipitia errorum illorum.

*Vitanda malorum consortia & colloquia.*

# CAPVT XII.

## REMEDIA QVÆDAM contra tentationes per corruptam doctrinam aliquorum

POst hæc dicam tibi aliqua remedia, quæ debes attendere per temetipsum circa aliquas personas quæ seminant dictas tentationes, per eorum vitam & doctrinam. Primùm, quod debes attendere erga tales personas est, quòd non habeas magnam æstimationem visionum eorum, & judiciorum, nec eorum raptuum: imò, si dicerent tibi aliquid, quod sit contra fidem, & contra Scripturam sacram, aut contra bonos mores, abhorreas eorum visionem & judicia, tanquã stultas demẽtias, & eorum raptus, sicut rabiamenta. Tamen si inducant in hoc, quod est secundùm fidem & sanctam Scripturam, & secundùm Sanctos, & secùndum

*Non omnibus esse adhibendã fidem.*

bonos

bonos mores, noli ſpernere, quo-
niam ſperneres quod eſt Dei. ta-
men non confidas totaliter, quia
ſæpè & maximè in tentationibus
ſpiritualibus, falſitas abſconditur
ſub ſimilitudine veritatis, & mali-
tia ſub ſimilitudine boni; ut dia-
bolus poſſit ſæpè & meliùs morta-
le venenum ſine ſuſpicione diffun-
dere. Et ideò credo, quòd plus
placet Deo, quòd viſiones, & judi-
cia, & raptus, qui, ſecundùm quòd
dictum eſt, habent ſimilitudinem
veritatis & bonitatis, dimittas ire,
pro tanto, quantum valent; niſi
contingant aliquibus perſonis, ra-
tione ſanctitatis & diſcretionis, ac
eorum humili probitate, de quibus
certum eſt, quòd prædictæ perſo-
næ non poſſunt decipi per illuſio-
nes nec per ingenium diaboli. Et
tunc, quamvis ſit pium viſionibus
& opinionibus talium perſonarũ
cõſentire, tamen ſecurum eſt, non
totaliter credere eis, ratione ſui & *Quomodo hominib9*

*& visioni bus adhibenda sit fides.* per rationē prædictam; sed quantum concors cum fide Catholica est & sacra Scriptura, & bonis moribus, & verbis sanctis, ac doctrina Sanctorum. Secundum remedium est, quòd si per revelationem, vel opinionem, vel aliud modum, cor tuum movetur ad faciendum aliquod opus, & maximè opus grave & notabile, non tibi consuetum, de quo non

*Cum magna deliberatione & circūspectione agendum* habeas certitudinem, an Deo placeat, imò dubitas rationabiliter, contrahas moram ad faciendum dictum opus, vsquequo inspexeris omnes circumstantias, & maximè finales, & cognoscas quòd Deo placet: non tamen quòd tu judices per te tuam opinionem, sed si potes, per testimonium sacræ Scripturæ, vel exemplum

*Non omnia facta Sāctorum sunt imitanda.* imitabile sanctorum Patrum. E dico, exemplum imitabile; quia secundùm B Gregorium, aliqui Sancti fecere aliqua opera, quæ non

non debemus imitari, quamvis bona essent in eis, sed debemus ea habere in admiratione & reverentia. Et si per temetipsum non potes venire in notitiam, an placeat Deo, petas consilium à personis approbatis in vita, doctrina, & consilio totius veritatis. *Docti & probi consulendi.* Tertium remedium est, quòd si tu es immunis à prædictis, sicut nunquam habueris, vel quantumcunque habueris, fueris liberatus ab eis, dirige cor tuum & intellectum ad Deum, recognoscendo humiliter gratiam Dei tibi factam, & eidem ex corde multoties, imò indesinenter regratieris super hoc. *Divinum auxilium humiliter implorandum.* Et caveas tibi, ne hoc quod habes per puram gratiam & bonitatem Dei, velis attribuere virtuti vel sapientiæ tuæ, vel merito tuo, sive tuis moribus, neque quòd fuerit factum à casu seu à fortuna: quia secundùm quòd dicunt Sancti, hoc est principalius per quod

Deus beneficium suæ gratiæ aufert, & subtrahit homini, & permittit eum subijci tentationibus & illusionibus Diaboli. Quartum remedium est, quòd te existente in tentatione spirituali, per quam es in dubio, non incipias ex tua propria voluntate aliquid notabile, tibi ante inconsuetum: sed cor tuum refrænando & voluntatem, expectes humiliter, & cum tremore & reverentia Dei, usque quo Deus cor tuum clarificet. Quia scias pro certo, quòd si existendo in dicto dubio, ex tua propria voluntate inciperes aliquid notabile, inconsuetum tibi, non posses exire ad bonum finem. Et intendo dicere, de incipiendo opera notabilia & inconsueta, super quæ est dubium antedictum. Quintum remedium est, quòd propter antedictas tentationes, si eas habeas, non dimittas aliquod bonum quod incepisti dum non eras in ten-

*Non esse sequendū propium judicium.*

*Propter tentationes non quà omittenda bo-*

in tẽtationibus antedictis: & maximè non dimittas orare, nec confiteri, nec communicare, nec jejunare nec opera pietatis & humilitatis, licet consolationem non invenias in operibus antedictis. Sextum remedium est, quod si tentationes antedictas habeas, leves cor tuum & intellectũ ad DEUM, quærendo humiliter hoc quod erit ei honorabilius, & tuæ animæ salubrius super tua tentatione, subijciendo tuam voluntatem voluntati divinæ: sic quod si illi placet, quod perseveres in illis tentationibus, similiter & tibi placeat, ut Deum non offendas.

*na opera consueta.*

*Deus omni sincero corde quærẽdus.*

## CAPUT XIII.

### RATIONES QUÆDAM *quibus excitatur cor ad mamaiorem perfectionem virtutis.*

QVia placet mihi multum, de hoc quod cœpisti bonum ad

honorem DEI, & desidero, non solùm quod perseveres, quinimo ut ascendas ad maiora opera virtutum, vel saltem desideres, idcirco scribo tibi aliquas rationes unde poteris cor tuum excitare & movere ad majores perfectiones omnimodæ virtutis, quam non incepisti nec potes seruare per propriam virtutem. Prima ratio est, quia si inspicias quantum DEUS est dignus amari & honorari secundùm suam bonitatem, & sapientiam, & alias suas perfectiones, quæ sunt in eo sine numero & sine termino, videbis quòd hoc, quod credidisti multum & magnum ad honorem Dei, secundùm bonitatem suam est minimum, & quasi nihil in respectu ejus, quod deberes esse, secundùm quod DEUS est dignus. Istam rationem idcirco pono primam, quia principaliter debemus attendere in omnibus operibus nostris honorem, & reveren-

*Deus est diligēdus super omnes creaturas.*

*Finis omniū actionum nostrarū debet esse honor & gloria Dei.*

tiam

tiam, & amorem Dei, quia in seipso est dignus amari super omnem creaturã. Secunda ratio est, quòd si attendas, quot despectus & vituperia, egestates, & dolores, & passionem, quam tam amaram sustinuit Filius Dei propter amorem tui, & hoc ut ames & honores eũ, cognosces quod parum est, quod fecisti ad Deum amandum & honorandum secundùm quod facere deberes. Ista ratio altior est & perfectior quàm sequentes, & ideò pono eam secundã. Tertia ratio est, quod si cogitas innocentiam & perfectionem quam debes habere secundùm mandatũ Dei, per quod teneris esse absque omni vitio, & sine omni culpa, & in plenitudine virtutis totius, sicut est, quod debes amare Deum ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & totis viribus tuis, videbis manifestè infirmitatem tuam, & distantiam in qua es à prædicta innocentia &

*Recordatio passionu Christi lenit nostras tribulationes.*

*Mandatorum Dei obligatio*

*Beneficiorum Dei obligatio.* perfectione. Quarta ratio est, quia si cogitares multitudinem & largitatem beneficiorum Dei, & gratiarum corporalium & spiritualium, quæ tibi & alijs, vel quæ singulariter tibi datæ sunt, sentires quod hoc quod facis vel potes facere propter Deũ, est nihil ad dicta beneficia recompensandum & gratias Dei, & maximè si liberalitatẽ ejus attendas & bonitatem. Quinta est, quia si cogitabis altitudinẽ & nobilitatem remunerationis & gloriæ, promissæ & paratæ illis, qui faciunt opera virtutum ad honorem Dei, quoniam gloria tanto major, quanto opera erunt magis virtuosa & majora. Cognosces procertò, tuum meritum esse nihil in comparatione tantæ gloriæ; & desiderabis facere opera magis virtuosa quàm antè feceras.

*Consideranda copiosa merces repromissa.*

*Consideranda pulchritudo virtutum & turpitudo vitiorum.*

Sexta ratio est; quia si attendas pulchritudinem & generositatem quam habent virtutes in se & nobilita-

bilitatem quam recipit anima per ſupradictas virtutes, & ſi attendas ad vilitatem & turpitudinē quam habent vitia & peccata, conaberis, ſi ſapiens fueris, ad amplius acquirendum virtutes, & amplius fugiendum vitia & peccata.

Septima ratio eſt, ſi attendas altitudinem & perfectionem vitæ ſanctorum Patrum, & eorum multas & perfectas virtutes, cognoſces imperfectionem & infirmitatē vitæ tuæ, & tuorum operum. *Conſideranda Sanctorum perfectiones.*

Octava ratio eſt, quia, ſi cognoſcas magnitudinem peccatorum & multitudinem offenſarum, quæ feciſti contra Deum, cognoſces, quia opera tua, quæ facis, quantumcunque bona ſint, ſunt nihil ad ſatisfactionem per viam juſtitiæ, de offenſis Dei. *Conſideranda multitudo peccatorum.*

Nona ratio eſt, quia ſi ſpeculeris univerſitatem & pericula tentationum carnis, mundi, & diaboli, conaberis ad aſſumendum majo- *Quotidiana pericula.*

rem firmitatem, & majorem altitudinem, in omni virtute, quam feceris unquam ut possis in majori securitate persistere contra dictas tentationes.

*Divinum pensandũ judicium.* Decima ratio est, quia si cogites districtum judicium DEI finale, & cum apparatu bonorum operum, & cum satisfactione de offensis Dei, & quòd debeas venire ad dictum judicium, videbis quòd parum est quod fecisti per bona opera & pœnitentiam; secundùm quod facere debuisses.

Vndecima ratio est, quia si tu cognoscas brevitatem vitæ tuæ, & vicinitatẽ tuæ mortis dubiæ, post quam non habebis spatium faciendi opera meritoria neque pœnitentiam, cognosces, quòd cum majori corde & studio deberes facere bona opera & pœnitentiam, quàm tu facis.

*Aspirandum semper ad meliorem vitam.* Duodecima ratio est, quia si animadvertas, qualitercunque incipias

cipias bonam vitam in quovis gradu, & conamine & desiderio ad majorem ascendendi & altiorem vitam, non posse esse sine fundamento præsumptionis & superbiæ, hujusmodi quod incepisti, nec potest esse sine inclusione magnæ tepiditatis & negligẽtiæ, ex quo hæc duo mala includuntur. nec potest esse sine magno periculo vivendi in multis vitijs spiritualibus, secundùm quod monstrare tibi possem, sed nimis esset longum ad scribendum per literas. Nec dubito quòd, si velis dictorum malorum esse liber & immunis, quòd quantumcunque altam vitam inceperis: tu adhuc conaberis in altiori & perfectiori vita esse. Bernardus super Psalmum 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi*; loquens de illis qui sunt fervidi in principio, & postea, credentes se aliquid esse, tepescunt: O inquit, si scires, quàm paruum est, quod habes,

*Occulto Dei judicio & sanctè permittuntur cadere.*

& hoc

& hoc ipſum quàm cito perdes, ſi non ſervaverit qui dedit.

*Damnatorũ ſuppliciorum recordatio.*

Tertia decima ratio eſt, quia ſi cogites abyſſalia judicia DEI facta ſuper aliquos, qui diu perſeveraverunt in magna ſanctitate & in magna perfectione, quòd DEUS deſeruerit eos propter aliqua occulta vitia, quæ non credebãt habere; non dubito quòd quantumcunq; aliam vitam inceperis omni die levabis tuas affectiones & tentationes, deſerendo omne vitium plus quàm feceras antè, appropinquando ad perfectam & integram ſanctitatem, timendo ne fortè inſit vitium aliquod occultum, propter quod merearis à DEO deſeri.

Quarta decima ratio eſt, quia, ſi cogites pænas infernales damnatorum, paratas cunctis peccatoribus, credo quòd levis erit tibi omnis pœnitentia, humilitas, paupertas, & omnis labor, quem

in iſta

in ista vita possis sustinere propter DEVM ut evadas pœnas supradictas, & conaberis continuè ad tenendum altiorem & perfectiorem vitam, timendo periculum veniēdi ad supradictas pœnas.

## CAPVT XIV.

### PRÆDICTARVM RATIONUM declaratio, qualiter habeant efficaciam per applicationem singularum.

PRædictas rationes plus in brevitate tetigi, quàm explicaverim, ut tu advertas in paucis magna cogitare, sic quod quælibet sit tibi materia altæ cōtemplationis & spatiosæ. Attamen scias, quod si velis proficere cum prædictis rationibus, debes formare, non solùm per intellectum, imò etiam est necessarium, quòd per certam affectionem moveas voluntatem tuam ad hoc quod dictant dictæ rationes. Et ut meliùs intelligas,

replicabo tibi ſub brevi memoria dictas rationes, oſtendendo tibi, qualiter dictæ rationes non habent efficaciam in anima, niſi formentur per affectionem & cognitioné ſpiritualem.

Prima enim ratio non habet vigorem, niſi in anima quæ habet magnum ſpiritum, & ſentit & cótemplatur nobilitatem, & perfectionem & dignitatem DEI, & conatur ad amandum Deum, & honorandum in omnibus, ſecundùm quod Deus eſt dignus.

Secunda ratio non habet efficaciam niſi in anima quæ cordialem devotioné ſentit in ſpiritu, & charitatem & bonitaté Filij Dei, quam nobis monſtravit in ſua propria paſſione propter nos accepta, ſic quòd anima deſideret totis ſuis viribus facere recompenſationem Deo, de bonitate & charitate oſtéſa in paſſione.

Tertia ratio non proficit, niſi in ani-

in anima quæ sentit altitudinem perfectionis, quam requirit Dominus & præcipit esse in creatura quæ profunda ratione mandatum Dei conatur adimplere, & cum magna voluntate venire in dictam perfectionem.

Quarta ratio solùm locum habet in anima, quæ per intellectum & affectionem recogitat magnitudinem & nobilitatem beneficiorũ Dei, & gratiam ipsius, & quæ conatur repræsentare Deo servitutem debitam secundùm beneficia recepta.

Quinta ratio habet valorem tantùm in anima, quæ habet in æstimatione & ferventi amore gloriam promissã in Paradiso, & quæ habet firmam fidem & spem veniendi ad illam gloriam per bona opera virtutum, sic quòd cum dictis operibus conetur venire ad illam gloriam supradictam.

Sexta ratio non habet efficaciam,

am, nisi in anima, quæ habet in horrore omnia vitia & peccata in abominatione, & in magna complacētia & amore perfectiones virtutum & gratiæ Dei, & hoc cum magno excessu & altitudine.

Septima ratio habet solum veritatem in anima, quæ habet in magna æstimatione vitas Sanctorum, cum desiderio imitandi. Et maximè intendo dicere de vita perfecta & perfectorum, sicut est Virgo MARIA principaliter, Ioannes Baptista, Ioannes Evangelista, & omnes Apostoli: & sic de alijs.

Octava ratio non proficit nisi in anima quæ aggravat offensas contra se, quas fecit contra Deū, & quæ habet voluntatē magnam faciendi Deo justitiam, & satisfactionem peccatorum suorum per bona opera & virtuosa.

Nona ratio non habet locum, nisi tantùm in anima, quæ sentit suam debilitatem & gravitatem, & peri-

& periculum tentationum, propter quod conatur ad fugiendum occasionem cadendi in tentationem, & ad veniendum in securitatem gratiæ Dei.

Decima ratio non habet locum, nisi in anima, quæ cognoscit peccata sua, & habet timorem & tremorem cordialem sententiæ finalis judicij, quæ dabitur contra peccatores qui non egerunt pœnitentiam de peccatis suis.

Vndecima ratio non habet locum, nisi in anima quæ habet timorem mortis, & habet magnum præparamentum faciendi opera meritoria.

Duodecima ratio, tantùm proficit animæ, quæ sentit, intelligit, vel quòd inchoando bonam vitam sine conamine & desiderio, ad altiòrem vitam ascendendi, non potest esse sine inclusione prædictorum vitiorum, & sine periculo grandium malorum, & ideò vult

fuge-

fugere dicta vitia & pericula.

Tertia-decima ratio non habet efficaciam, nisi in anima quæ summè curat de sua salute, & timet separationem à gratia.

Quarta-decima ratio non habet efficaciam, nisi in anima quæ timet de pœnis damnatorum, sentiendo, quòd digna est venire in pœnas supradictas propter offensas quas commisit contra Deum, & quæ vult & conatur vitare pœnas antedictas per satisfactionem pœnitentiæ. Et nota, quòd conclusio & finis cujuslibet rationis debet esse in duobus. Primò in cognitione propriæ imperfectionis & nihileitatis, deinde in desiderio & conamine veniendi in altiorem vitam, sic quòd non sit cognitio propriæ imperfectionis & annihilationis sine desiderio atque conamine majoris perfectionis & vitæ altioris, nec è converso.

CAPVT

# CAPVT XV.

## DOCVMENTA SEV *Consilia saluberrima, in quibus se exercere debet, qui vult evadere, laqueos diaboli.*

QVi vult fugere atque evadere laqueos atque tentationes Antichristi seu diaboli finales, debet habere in propria cognitione sui, duo. Primò, quòd sentiat de seipso, sicut de vno corpore mortuo, pleno vermibus, & malè olenti. & sicut de vno cadavere, quòd dedignatur videre & intueri, imò super quod claudit nares, propter ejus pessimũ odorem & fœtorem; & à quo avertit faciem, ut non videat talem & tantam abominationem. Sic oportet charissime, facere semper mihi, & tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus sum, & corpus meum & anima mea, & omnia quæ intra me sunt, fece & putredine pecca-

*Mortificationis doctrina.*

*Veræ humilitatis actus qui-*

peccatorum & iniquitatum fœtidissima & abominabilissima sunt; & quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentiùs & angustiùs revocari. Et debet talem fœtorem de seipsa sentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, sicut coram illo, qui omnia videt & scit, sicut si esset coram districto judicio; & dolere maximè de offensa Dei & perditione gratiæ animæ, in qua erat, quãdo redempta fuit pretiosissimo CHRISTI sangvine, & abluta per Baptismum. Et sicut sibi & Deo fœtere se credit & sentit, sic etiam credat & sentiat; quòd non solùm coram Angelis & sanctis animab⁹, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus, sit abominabilis & fœtidus, & quòd facta & dicta sua non solùm homines videre & audire dedignantur, sed quòd nares suas claudant, & avertant facies, ne ipsum videant, & tanquã

fœti-

fœtidum cadaver de medio eorum expellant, & ſit ab eis alienatus & ſeparatus, & projectus, ſicut plus quàm leproſus, vſquequo veniat & reveniat ad ſeipſum. Et ſi quis de eo juſtitiam faceret, de corpore ſuo ſentiat quod juſtum eſt, & ita credat, etiã ſi ſibi oculi eruerẽtur, naſus trũcarentur, manus abſcinderẽtur, & aures & os, & ſic de alijs ſenſibus corporalibus, & mẽbris: quia cum his omnib⁹ DEUM offendit & creatorẽ. Item quòd deſpici deſideret & cõtemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blaſphemias & cætera adverſa, ſummo cum gaudio & lætitia recipiat, & patienter ferat. Et oportet quòd diffidas de teipſo totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & convertas te totum & reclines ſuper brachia IESU Chriſti pauperrimi & viliſſimi, & improperati, deſpecti & mortui propter te; uſque

*Deſideret contemnî.*

quo

quo tu sis mortuus in omnibus sen-
sualitatibus tuis humanis, & IESUS
Christus Crucifixus vivat in corde
tuo & in tua anima, & totus trans-
formatus & transfiguratus, cordi-
aliter sit in te, ut nunquam videas,
nec sentias, nec audias, nisi ipsum
solùm stantem in cruce propter te
mortuum & suspensum, ad exempli
Virginis MARIÆ, mortuus in mun-
do, & Vivens in fide: & quòd in il-
la fide, vivat tota anima tua usque
ad resurrectionē, in qua Dominus
immittet gaudium spirituale & do-
num sancti Spiritus in anima tua
& in illis personis, in quibus de-
bet renovari status Apostolorum
& Ecclesiæ sanctæ DEI, exercen-
te in sanctis orationibus sive sacris
meditationibus & affectionibus a
obtinenda dona virtutum & grati-
am DEI, Sed debes præcipuè se-
ptiformi affectu exerceri ad Do-
minum, scilicet 1. amore arden-
tissimo, 2. timore summo. 3. ho-
nore

*Oportet Deo septiformi affectu inservire.*

nore debito. 4. zelo constantissimo, & 5. illis debet adjungi gratiarum actio & vox laudis. 6. omnimodæ obedientiæ promptitudo, & 7. suavitatis divinæ pro posse degustatio. Et ideò continuè debes ista septem devotè petere à DEO, utpote dicendo: Bone IESU, fac ut totis medullis amem te, summè timeam, reverear, & pro omni honore tuo fortissimè zelosus sim, ita quòd omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotipus, vehementissimè exhorrescā; & potissimè, si in me, aut à me, vel pro me, facta tibi sint opprobria ulla. Deinde da etiam, ut te Dominum tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoscā, & de omnibus beneficijs à te mihi impensis gratias semper agam, & hoc cum summa gratitudine cordis. Da etiam ut in omnibus semper te benedicam, laudem, & magnificem, & hoc cum summo jubilo,

*Oratio pro septiformi affectuum petendo.*

bilo, & tripudio cordis, & tibi in omnibus obtemperans & obediēs, semper reficiar dulcissima tua, & ineffabili suavitate, cum Sanctis tuis Angelis & Apostolis tuæ mēsæ assistens, licet omnino indignus & ingratus. Qui cum Patre, &c.

*Affici sibi ipsi alio septiformi affectu.* Debet etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu. Primò scilicet quòd totus de suis vitijs & defectibus cōfundatur. Secundò, ut peccata sua, tanquam offensiva, & suijpsius maculativa, acutissimo & acerbissimo dolore plangat, & deploret. Tertio, humiliatio sui, & conculcatio, cum contemptu: ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam & fœtidissimā spernat, & contemni appetat, ut dictum est. Quartò, rigore severissimo, ut scilicet corpus suum asperrimè maceret, & macerari appetat, tanquam peccato fætidum, imò tanquam latrinam & sentinam, & tumulum omni-

omnium fœditatum. Quintò, ira implacabili contra omnia vitia sua & contra radices & inclinationes vitiorum suorum. Sextò, vigore pervigili & strenuo, ut scilicet omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virili strenuitate, in omne bonum teneat pervigiles attentos. Septimò, discretione perfectæ modestiæ seu moderantiæ, ut scilicet in omnibus districtissimè servet mensuram & modum, videlicet, inter nimium & non satis: ut scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum, aut defectivum, nec plus quàm debet, aut minus quàm deceat. Debet etiam circa proximum se exercere alio septiformi affectu. Primò scilicet per piam compassionem: ut scilicet ita sentiat aliorum mala & incommoda, sicut sua. Secundò per dulcem congratulationem, ut scilicet de aliorum bonis lætetur, sicut de suis. Tertiò, per

*Proximo affici alio septiformi affectu.*

tranquillam supportationē & condonationē ut scilicet molestias & iniurias ab alijs illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. Quartò, per benignā affabilitatem: ut scilicet sit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet & optet, & talem se exhibeat in gestibus suis & verbis. Quintò, per reverentiam humilem scilicet ut omnes sibi præferat, & omnes revereatur, & omnibus ex corde se subdat, tanquam Dominis suis. Sextò, per concordiam vnanimem, ut scilicet quantū in se est, & quantum secundùm Deum potest esse, unum sentiat cū omnibus, & ita sentiat, se esse omnes, & illos se, omnium rectum velle, pro suo reputet, & econtrà. Septimò, per Christiformem sui pro omnibus oblationem: scilicet ut ad instar Christi pro omnium salute sit paratus, & solicitus ponere vitam suam, & die noctuque orare

*Cum alijs concorditer viuere*

orare & laborare quòd omnes in Christo invifcerentur, & Christus in eis. Sed tamen, ne ex hoc credatur quin vitia hominum fint pro toto posse cavenda & fugienda: Sciendum, quòd quandocumq; ex focietate malorum hominum vel imperfectorum, periculum immi net, vel occafio retrahens, vel impediens à perfectione vel fervore prædictarum virtutum, debes à talibus, ficut à ferpentibus vel draconibus, elongari. Non enim eft carbo ita ignitus, quin in aqua frigefcat aut tepefcat, fic econtrà, vix eft carbo ita frigidus, quin acervo carbonum ardentium accendatur. Alias vbi periculum hujufmodi non imminet, ex mera fimplicitate debes aliorum non videre defectus, aut fi vides per compaffionem fupportare ut tuos. Vt autē utiliter ad temporalia & æterna te habeas, perfectè fcito, quòd temporalia debes afpicere fub quadru

*Quando fugiēda focietas improborum*

*Similitudo commoda.*

*Quomodo cogitandū de bonis externis, & corporis*

plici sensu Primò scilicet tâquam peregrinus & advena sentias omnia ut extranea & aliena, in tantum, ut tua vestis tuo sit sensu ita extranea, acsi esset in India. Secundò, ut in tuo vsu abundantiam timeas, ut venenum & mare submergens. Tertió, ut in tuo usu omnē inopiam & egestatem sentias; quia ipsa est scala per quam ascenditur ad cœlestes divitias & æternas. Quartò, ut societatem contubernium & apparatum divitum & magnatum fugiens non ex contemptu, tantùm de societate pauperum glorieris & in memoria & aspectu atque conversatione pauperum & despectorum totus læteris, quasi qui exprimant imaginem Christi, & eis quasi regibus cum summa alacritate & jucunditate, & reverentia associeris.

*Societas pauperū expetēda magisquā divitium.*

## CAPVT XVI.

PERFECTIONES QVINDE-

cim

*cim necessariæ servienti Deo in vita spirituali.*

QVindecim sunt perfectiones necessariæ personæ quæ servit Deo in vita spirituali. Prima, est perfecta notitia suarum infirmitatum. Secunda est magna & fervens impugnantia contra malas inclinationes; & contra voluntates seu passiones rationi repugnãtes. Tertia est timor magnus, quẽ habere debet de offensis hactenus factis contra Deum, quia non est certus, an benè satisfecerit nec si cum DEO fecerit pacem. Quarta, est magnus timor & tremor qui debet esse in ipso, ne per suam fragilitatem iterum cadat in similibus vel majoribus peccatis. Quinta, est fortis disciplina & aspera correctio ad regendum suos sensus corporales, & totum suum corpus spiritui subjugare in obsequium IESU Christi. Sexta, fortitudo & magna pa-

tientia in tentationibus & adversitatibus. Septima, est vitare viriliter omnem personam, & omnem creaturam aliam, quæ impelleret eum, aut esset illi occasio non solùm ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ spiritualis, sicut unum dæmonem infernalem. Octava est, quod portet in se crucem Christi, quæ habet quatuor brachia. Primum est mortificatio vitiorum. Secundum est derelictio omnium bonorum temporalium. Tertium est, derelictio omnium affectionum carnalium parentum suorum. Quartũ, suijpsius contemptus & abominatio, & annihilatio. Nona est, divina & continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepit á Domino IESU CHRISTO. Decima est, die ac nocte consistere in oratione. Vndecima est, gustare & sentire divinum dulcorem continuè. Duodecima est, magnum & fer-

& fervens desiderium exaltandi nostram fidem: scilicet quòd IESUS CHRISTUS ab omnibus timeatur. Tertiadecima est, habere misericordiam & pietatem in omnibus necessitatibus suo proximo, sicut sibi vellet haberi. Quartadecima est, regratiari ex toto corde tuo, in omnibus Deum glorificare, & laudare in omnibus IESUM Christum. Quintadecima est, quòd postquam hæc omnia fecerit, sentiat & dicat: Domine Deus meus IESU Christe, nihil sum, nihil possum, nihil valeo, & malè tibi servio, & in omnibus servus sum inutilis.

## CAPVT XVII.

### *TERNARII QVINQUE in quibus se exercere debet spiritualis.*

TRes sunt radices Evangelicæ & Apostolicæ paupertatis, seu principales partes: Abdicatio omnis sui

*Paupertatis Euangelicæ tres radices.*

nis ſui juris, rerum temporalium moderatio, paupertatis uſus, habituatus ad utrumque affectus. Tres ſunt partes abſtinentiæ: ſcilicet enervatio carnalis amoris, & ſollicitudinis vitæ ſuæ ſuſtentationis; non curare de abundantia vel ſufficientia victualium delicatarum; & uti parcè oblatis. Tria ſunt à nobis ſingulariter fugienda & metuenda: Primum, exterior diſtractio negotiorum: ſecundum, interior promotio & exaltatio: tertiũ, temporalium rerum, & carnalium amicitiarũ ad ſe, vel ſuos amicos, vel ſuum Ordinem immoderata affectio. Tria ſunt à nobis ſingulariter exercenda & amplectenda: Primum, deſiderium proprij contemptus, abjectionis, & externæ vilificationis. Secundum, viſcerosa compaſſio ad IESUM Chriſtum crucifixum. Tertium, ſuſtenentia perſecutionum & Martyriorum pro dilectione cultus nominis

*Abſtinentia tres partes.*

*Tria in primis fugienda.*

*Tria magnopere amplectẽda.*

nis Chriſti, & Evangelicæ vitæ. Hæc tria ſunt per quædam verba extenſiva poſt horas diei gemitibꝰ & ardentibus ſuſpirijs poſtulanda. Tria ſunt à nobis ſingulariter, & quaſi aſſiduè meditanda. Primùm, Chriſtus Crucifixꝰ incarnatus, &c. Secundum, Status Apoſtolorum & Patrum præteritorũ noſtri Ordinis, hoc cum deſiderio, ut illis cõformemur. Tertiũ, Status virorũ Evangelicorũ futurus. Et hoc debes die noctuque meditari. Scilicet ſtatum pauperrimorum, ſimpliciſſimorũ & manſuetorum charitate ardentiſſima ſibi conjunctorurum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec ſaporantium, niſi ſolum IESUM Chriſtum & hunc Crucifixum: nec de hoc mundo curantium ſuique oblitorum, ſupernam Dei & Beatorum gloriam contemplantium & ad eam medullitus ſuſpirantium & anhellantium & ob ipſius amorem ſemper mor-

*Tria ſapiùs meditanda.*

tem ſperantium, ſive deſiderantium, & ad inſtar Pauli dicentium;
Phil. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Debes etiam meditari, innumerabiles ac inæſtimabiles theſauros divitiarum cœleſtium ſuper dulces & mellifluos rivos divitiarum, ſuavitatum, ac jucunditatum, & ſuper omnia mirabiliter expanſos & ſuperinfuſos. Et per conſequens imaginari debes eos ipſos ut cantãtes canticum Angelicum cum jubilo citharizantium in citharis cordis ſui. Hæc imaginatio ducet te pluſquam credi poteſt in quoddam impatiens deſiderium adventus illorum temporũ, ducet te in quoddam admirabile lumen, amoto omnis dubitationis ac ignorantiæ nubilo, & limpidiſſimè videbis, & diſtrictè diſcernes omnes defectus iſtorum temporũ & myſticũ ordinem Eccleſiaſticorũ Ordinũ productorum & producendorũ ab initio Chriſti uſq; ad finẽ ſæculi & uſque ad glo-

ad gloriam summi Dei, & IESU Christi. Crucifixũ semper portato in corde tuo, ut te ad suam æternam gloriam perducat. Amen.

## EX VITA S. CATHARINÆ Senensis.

SAncta CATHARINA SENENSIS soror tertiæ Regulæ Sancti Dominici, virgo sanctitate mirabilis; quæ virginitatem ab ipsa fermè infantia CHRISTO consecratam, illibatam ad obitum usque custodivit, & innumeris virtutum coronis insignis, à Christo sponso crebris ac dulcibus alloquijs recreata, dolorum ac vulnerum eius particeps fieri meruit. Tãdem dono Prophetiæ, miraculis & doctrina præfulgens, victo ac triumphato sæpe sæpiùs Satana, ad sponsi beatos amplexus in cœlum conscendit anno 1380. Sepulta in Ecclesia Prædicatorum, Romæ super Minervam. Quam Pius II. in Sãctarũ virginũ numerũ adscripsit.

# DIALOGVS BREVIS S. CATHARINÆ SENENSIS.

## De acquirenda vera perfectione.



VM anima quædam, ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem & miseriã, ignorantiam scilicet & pronam ad malum naturam cognosceret, aliquãtulumque Dei magnitudinem, sapientiam (inquam) potentiam, bonitatem, cæterasque ipsius præstantiæ partes suspiceret, vidit, quam dignum & necessarium esset, ut idem perfectè coleretur & sanctè. Dignum, quia cùm Pater universorum & Dominus sit omniaq; ut suum ipsius nomen collaudent; & ad suam referantur gloriam, fecerit: congruum & æquum est,

est, ut servus Dominum suum observans, ei serviat, & obsequio pareat; necessarium, quia cum ipse Deus, rationale animal, spiritu & corpore compositum, hac conditione condiderit, ut si voluntariè usque ad mortem fidelem sibi præstiterit servitutem, ad vitam perveniat sempiternam: aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam consequi nequit; Perpaucos autem hoc adimplere, sicque per paucos salvari, *quòd verè omnes quærant quæ sua sunt, non quæ Dei.* Vidit præterea, breves Dies hominis esse, incertam horam punctumq; quo id momentaneum promerendi tempus finiatur, in inferno verò nullam esse redemptionem, sed vnumquemq; in futura vita, immutabili & inevitabili sententia præmia pœnasve, prout in hoc suo vivendi genere sit emeritus, justa consequi retributione. Vidit etiam multos multa di-

*Quare tā pauci salventur.*

ta dicere, & diversimodè multifariamq; prædicare ac loqui de virtutibus quibus Deus fideli servitute colatur, rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebete, memoriam debilem, ut nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere: ac iccirco, licet multi studeant semper addiscere, quàm paucissimos tamen integritatis perfectionem attingere, Deo ut dignum necessarium esset, deservire; sed ferè omnes, curis anxios, mentis agitationibus fluctuantes, extremo semper in periculo degere. Videns igitur hæc omnia anima illa, spiritu coram Domino exurgens, ardenti desiderio, ac vehementi affectu, ab ipsius majestate efflagitavit, ut succinctè & brevibus præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita nostra sanctè instrui ac perfici posset, quæque vi sententiarum, prædicationum veritatis-

*S. Cathar. efflagitavit à Deo præcepta sanctè vivendi & perveniendi ad perfectionẽ.*

rita-

ritatem, & universas complecterentur Scripturas, quorum observatione & ipse debita servitute coleretur, & ex hac brevi, mortali ac misera vita, ad eam ad quam creaverit felicitatem perveniremus.

Deus itaque, qui sancta desideria inspirat, & eadem suscepta irrita non esse permittit, statim huic animæ in mentis excessu constitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea, mirum in modum hujuscemodi desideria tua, adeò placent, ut eis longè magis cupiam ipse satisfacere, quam ipsa cupiant satisfieri. Ingens namque meum optatum est, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ saluti vestræ utilia, commoda, & necessaria sint, atque ideo tuum adimplere desiderium & te voti compotem efficere paratissimus sum. Quare attende & diligenter observa quæ tibi ipse ineffabilis & nunquam fallens veritas dicturus sum, quoniam

*Deus annuit petitioni & desiderio S. Catharinæ.*

niam tuæ annuens petitioni, breviter proponã, quid ſit quod ſummam perfectionem omneſq; contineat virtutes, ac ſimul Scripturarum volumina; & multiplices complectatur prædicationes, ut ſi tuam faciem ſpeculatura fueris, & te ad illud conpoſueris, ac ſervandum formaveris, quicquid patet & latet in divinis ſermonibus, adimpletura ſis, & ſempiterna lætitia & perpetua pace fruitura. Scias igitur ſervorum meorum ſalutem perfectionemque hoc vno conſtare, ut meam ſolius faciant voluntatem, atque eam ſummo ſemper ſtudio adímplere nitantur; ut mihi uni obſequi, me unum obſeruare, me unum attendere, omnibus vitæ ſuæ contendant momentis; quantoque diligentiùs in id incumbant, tanto perfectioni propriùs accedere; quoniam mihi, qui ſum ſumma perfectio; magis preſſiuſque adhærent, copulantur, jungũtur.

*Præcepta ſanctè vivendi à Deo S Catharinæ tradita.*

*De Voluntate Dei, facienda & adimplenda.*

tur. Vt autem planiùs hanc (licet ine fabilem) brevibus tamen traditam veritatem intelligas, Respice in faciem Christi mei, in quo mihi benè complacui. Ipse namque exinanitus servili forma assũpta, factusque in similitudinem carnis peccati est, ut vos cæca caligine obrutos,& à via veritatis aversos, suæ lucis splendore illuminans, ad rectum iter & verbo converteret & exemplo. Obediens fuit vsque ad mortem, sic sua perseverandi obedientia vos edocens, salutem vestram ex faciendæ solius voluntatis meæ stabili instituto pendere: nam si quis diligenti studio & consideratione, ipsius tum vitam, tum doctrinam meditari velit, perspiciet proculdubio, mortaliũ integritatem perfectionemq; nulla re alia constare, quàm jugi, perpetua ac fideli meæ voluntatis observatione, quod idem dux vester toties attestando repetit.

*Proponitur exemplum Christi Salvatoris.*

*Christi obediẽtia.*

Matt: 7. tit. Ait enim: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed omnis qui fecerit voluntatem Patris mei.* Et attende quòd non frustra repetit bis, *Domine, Domine,*; quoniam cùm omnis transitoria conditio ad duo universalia genera reducatur, religiosum scilicet & sæculare, significare vult, neminem, cujuscunq; conditionis sit æternæ vitæ gloriam consecuturum licet omnem mihi extrinsecus honorem exhibeat, nisi meam fecerit voluntatem. Item alio loco: *Non veni facere voluntatem meam sed ejus qui misit me Patris.* Et
Ioann: 5. & 6. iterum: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Item, *Non*
Luc. 21. *mea voluntas sed tua fiat.* Et, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Si vis ergo, Saluatoris tui exemplum imitando, meam facere voluntatem, qua constat esse bonum tuum; necesse est ut tuam omnibus in rebus prorsus contemnas

facere

facere voluntatem, illamque abneges & extinguas, quoniam quãto magis morieris in te tãto magis vives in me: & quo purgatiùs eijcies quod tuum est eò abundantiùs ipse reponam quod meum est.

Postquam illa anima hæc veritatis saluberrima documenta percepit, & tota lætabunda dixit: Pater & Deus meus placent summopere, & plus quàm explicare queam, quæ servulæ tuæ narrare dignatus es: & quàm magnas possum benignæ majestati tuæ gratias ago, quoniam quantum mea rudi intelligentia consequi possum, non aliter est, quam mihi per Salvatoris exemplum præclarè ac lucidè demonstrasti. Cùm enim tu summum & omne bonum sis, non volens iniquitatem, sed justitiam tantùm, & honestatem, quicquid faciendum est perago, si tuam voluntatem adimpleo, & eam impleo, si meam propter te abne- S. Cathar.

abnego, quam tu minimè violare vis, qvoniam mihi iccirco liberam tradidisti, ut ego sponte tibi subigendo, & tuam solius facere semper intendendo, gratior tibi fiam, & majora apud te mea sint merita. Volo igitur ac vehementer desidero id adimplere quod præcipis, sed non planè scio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quòve tibi fideli obsequio emancipari queam; si arrogans non sum & mea temeritas tua non abutitur lenitate, supplex obsecro, ut juxta petitionem meam id quòque me paucis doceas.

*Salutaris prudens petitio.*

At Dominus: Si paucis & collectim scire desideras voluntatem meam, ut eam integrè valeas adimplere, hæc mea voluntas est ut summè & semper ames me, sicut præcepto mandavi vobis, *ut toto corde, tota anima, & omnibus viribus vestris diligatis me*: hujusque præcepti observatione, tua perfectio conti-

*Exponit Deus quid ab homine postulet videlicet ut super omnia ametur & in eo præcipuè consistit divina voluntas.*

continetur: quoniam finis præcepti charitas est, & *plenitudo legis est dilectio.*

Anima ad hæc: Teneo voluntatem tuam, & perfectionem meam in summo tui amore collocatam esse, ipsaque te (ut par est) summo amore ac vehementissima dilectione prosequi vellem, sed quonam pacto id efficere possim aut debeam, satis mihi compertum non est. Quocirca orans expeto, ut me hac quoque in parte brevibus instruas. *S. Cathar.*

Tunc Deus: Audi igitur, & ad ea quæ dicam, tota mentis attentione invigila. Si me perfectè amare vis, te tria hæc facere necesse est. Primò ut voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno & carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices; ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames, nisi propter me, nec (quod magis & ma-

*Quibus rebus contineatur amor Dei super omnia.*

*Primum cõsistit in abnegatione suiipsius.*

*Doctrina notatu digna de amore.*

& maximum eſt) ames me propter te, aut te propter te, aut proximũ propter te: ſed ames me, propter me, te propter me, & proximum propter me: quoniã divinus amor terreni affectus aut alterius cujuſvis amoris conſortium pati non poteſt. Vnde quantùm te terrenarum rerum contagione infeceris, tantùm & in mei amore peccabis & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe, ut munda & ſancta ſit, omnia quæ corpus ſentit, faſtidire neceſſe eſt. Effice igitur, ne quicquàm ex his quæ à bonitate mea veſtros in uſus profecta ſunt, te ad me amandum impediat, ſed omnia adjuvent, accendant, inflãment. Quoniam vobis illa creando conceſſi, ut bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipſis dignoſcentes, me abundantiore quoq; amore proſequeremini. Perſtes igitur appetitu lumbisque ſuccincta, & vigilanti cuſtodia te ſemper obſervans,

vans, terrenis cõcupiſcentijs, quas undecunq; tibi mortalis vitæ miſeria, & corrupta ſuggerit natura, alacriter reſiſte, ut cum propheta meo dicere poſſis. *Qui perfecit pedes meos*, id eſt, affectus qui animi pedes ſunt *tanquã cervorum*, ad fugiendum canes, id eſt, laqueos concupiſcentiæ terrenarum rerum, *ſuper excelſa ſtatuens me*, id eſt, in contemplatione. Quum hoc primùm impleveris, ad ſecundum, quod etiam altioris perfectionis eſt, pervenire poteris, ut omnes cogitationes, actus, & opera tua dirigas ad meum ſolũmodo honorem & gloriam, ſemperque ſolius meæ laudi ſtudioſiſſimè des operam, precibus, verbis, & exemplis; & quomodo poſſis, ut non tu tantùm ſic, ſed alij omnes tecum pariter & eodem modo affecti ſint, utque univerſi me unum norint, ament, colant. hocque mihi magis placet quam primum, quoniam magis

*Pſal: 17.*

*Secũdum in quo cernitur amor Dei.*

*Tertiū in quo cernitur amor Dei.*

implet voluntatem meam. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nil deesse, teque cõsummatam integritatem consecutam scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris & studeas, ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ita conjuncta sis, tuaque meæ (quæ perfectissima est) ita similis sit conformisq; voluntas, ut nolis, non solùm malum, sed & bonum quod ipse nolim, utque eveniat quicquid velit, & vndecunque velit, in istius vitæ miseria, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbeturvè quies mentis tuæ, sed incõcussa fide semper teneas me Deum tuum omnipotentẽ magis amare te, quàm tu te ipsam, meque tui diligentissimã habere curam, & multò diligentiorẽ quàm tu. Quanto magis sic te mihi commiseris dederisque tanto magis te adjuvans,

*Summus gradus amoris Dei in conformitate Voluntatis.*

tibi

tibi semper adero, & tu ipsa clarius senties circa te dulcissimā charitatē meam. At hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem, constantem ac absolutam propriæ voluntatis abnegationem: quam qui præstare negligit, simul hanc excellentissimam perfectionē negligit: qui verò libens præstat, simul integerrimam voluntatem meam integerrimé exequitur, mihique summè placet, & me secum habet, quoniam mihi gratius ac jucundius nihil est, quàm per gratiam vobiscum agere, & in vobis habitare. *neq; sunt delitiæ, cum filijs hominū esse*: & ut volentes ipsi (nolo enim liberi jus arbitrij violare) à me in me, per gratiam, transformentur, ut sint unum meum participatione perfectionis meæ, præcipueq; pacis ac tranquillitatis meæ Vt autem planiùs intelligas, quàm ardenti desiderio cupiam vobiscum esse, utque ma- Prov: 8.

gis accendaris ad ſubigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide & alta mente conſidera, voluiſſe me, ut Vnigenitus meus incarnaretur, neque mea divinitas majeſtatis dignitate ſepoſita, veſtræ copularetur humanitati: ut tanto amoris & charitatis exemplo, tanta ineffabilis dilectionis demonſtratione, vos ad pariter conjungendam meæ voluntatem adveſtram, unique mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem. Voluiſſe præterea, ut ille ipſe dilectus Filius meus tam horrendam, immanem, crudelemque crucis mortem ſubiret, ut ſuis tormentis veſtrum peccatum tolleret. Peccatum (inquam) quod inter me & vos diviſionem fecerat, & meam à vobis ita faciem averterat, ut nullo pacto poſſem reſpicere. Paraſſe inſuper menſam maximi & parum agniti Sacramẽti corporis ipſius & ſanguinis, ut illud

illud in cibum ſumentes transformemini, muteminiq; in me, ac ſicut panis & vinum quibus veſcimini in ſubſtātiam tranſeunt corporalem, ita & vos, manducantes ipſum (qui mecum unum eſt.) ſub panis & vini ſpecie, in ſubſtantiā ſpiritualem & in meipſum convertamini. Et hoc illud eſt, quod Auguſtino ſervo meo his verbis dixit: *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.*

Cùm audiſſet anima illa quænam eſſet Dei voluntas, & quemadmodum ad eam implendam neceſſaria etiam erat perfecta charitas; perfectamq; charitatem propriæ voluntatis abnegatione conſtare, dixit. Significaſti mihi Domine Deus meus voluntatem tuam: ſignificaſti Domine, quòd ſi perfectè amavero te, nihil terrenum aut mortale, nec etiam meipſam amabo propter me, ſed *S. Cathar.*

 quic.

quicquid amabo, secundùm te & propter te amabo. Dixisti, ut summo semper studio tuam solius laudem, honorem & gloriam velim perquirere, simulque operam dare, ut alij quoque idem nitantur facere. Et ut quæcunque adversa mihi in hac misera adveniunt vita, ea composita mente & æquo animo ac lætanti tolerare contendam. Nunc, quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficienda sunt, doce, quæso, quonam pacto ad hanc pervenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare & assequi queam: ut enim per tuæ doctrinæ lumen video, *tantùm in te viuo, quantùm in me morior.*

*Præclarū dictū Perfectio hominis maximè cōsistit in abnegatione.*

DEUS autem, qui sancta nunquam frustratur desideria, sic intuit: Perfecta tui abnegatione omne bonum constare certum est, *quoniam te tantum mea gratia repleo, quantum te tua voluntate evacuas*; & perfectio-

fectionem tuam efficit participatio divinæ bonitatis meæ per gratiam, ſine qua humana creatura (quantum ad virtutem & dignitatem ſuam) nihil eſt. Ad hanc igitur ſi pervenire vis, tibi eſt in ſumma humilitate præſtandum, & ex vera atque intima miſeriæ & inopiæ tuæ cogitatione id unum jugiter vehementerq; affectandum, ut mihi ſoli pareas, meamque ſolius voluntatem obſerves. Quò autem id præſtare queas, neceſſe eſt ut per mentis conceptum & animi exiſtimationē tibi habitaculum circum undique concameratum ex ſolius meæ voluntatis materia conſtruas, teque eo concludas & ſemper inhabites, ut quocunque eas, nunquam progrediaris; quocunque proſpicias, nunquā extra aſpicias, ſed tuos mentis & corporis ſenſus, mea ſemper circumſtet voluntas, nec quicquam aliud loquaris, cogites, aut efficias, niſi quod mihi placet,

*Divina Voluntas in omnibus obſervanda.*

& meæ esse voluntatis credas: sicque te quicquid agendum erit sanctus Spiritus edocebit. Alia etiam via ad propriæ voluntatis abnegationem perveniri potest, si adsunt qui te secundùm me instruant regantque, ijs propriam subijciendo voluntatem, te totam ac tua omnia his committendo, his parendo, & eorum semper sequendo consilia: quoniam qui fideles & prudentes servos meos audit, me audit.

*Superioribus obediendum.*

*Luc 10.*

Sed hæc volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti consideratione mediteris, me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentẽ, vobisque omnia quæ mihi placita sunt facere, nec esse qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quicquam sine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil provenire, ut per Prophetam vobis enuntia-

*Nihil sine Deo vel faciente vel permittẽte fieri.*

*Amos 3.*

nuntiavi. *Non esse malum in civitate quod non ipse fecerim*, id est, permiserim. Mediteris pariter, me Deum tuum summæ esse sapientiæ, perfectissimæ cognitionis, & intelligentiæ omnia certa ratione vidētis & acutissimè penetrantis, ut ad te, cælum, terram, mūdum totum, & universa gubernanda, nulla possim ratione falli, nullo errore turbari. Quod si ita non esset, nec Deus essem, nec sapientissim⁹. Et ut tantillum percipias vim huius summæ sapientiæ meæ, scias de malo culpæ & pœnæ me longè majus bonum quàm sit malū elicere. Tertiò velim consideres, me eundē Deum tuum non minus summè bonum esse, & vi amoris benevolentiæ q; constare, hac de causa non posse, nisi quæ bona sunt, utilia & salubria tibi & alijs velle, non posse à me aliquid malum provenire, nihil odisse: & hominem ut mea bonitate creavi, ita per me semper in-

*Expositio cujusdam loci apud Prophetā.*

*Summa Dei sapiētia & scientia, cujus providentia omnia disponit.*

*Sūma Dei bonitas, quæ nil nisi bonū desiderat & omnia ad suam gloriam & nostrā salutēm disponit.*

 æstima-

æstimabili dilectione prosequi. His verò per firmam fidem mente ac meditatione collectis cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates honores, infirmitates & adversa omnia ob nullam aliam causam, me gubernante provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratiâ; ut per ea quæ videntur vobis mala, à pravitate corrigamini, & ad virtutem, qua itur ad verum & summum bonum vobis incognitū perducamini. Cognosces præterea, hoc fidei lumine perlustrata, me Deum tuum magis posse scire velle bonum tuum quàm tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle, absque gratia mea. id igitur cùm ita sit, danda tibi summo studio opera est, ut voluntatem tuam divinæ voluntati meæ prorsus subijcias quoniam sic placida semper mente quiesces, & me semper tecū habebis (factus est enim in pace locus meus) nec erit tibi scandalum

*In quo cōsistat quies & tranquillitas mentis.*

lum peccati, hoc est offendiculum aliquod ad peccatum nec per impatientiam, nec alio quovis modo: *nam pax multa diligentibus nomen meum, & non est illis scandalum.* Tantū etenim amant legem meam id est voluntatem: meaque lex est qua cuncta reguntur, tantumque mihi per ipsam copulati sunt, & in ipsius delectantur observatione, ut eveniat quicquid velit, cujuscunq; generis & æstimationis sit, nulla re præterquam culpæ, unde mihi si at injuria perturbari queant. Prospiciunt namque claro & purgatissimo mentis oculo, à me summo universi gubernatore, mirifica sapientia, charitate & ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, meque sibi ac rebus suis melius utiliusque prospicere quàm ipsimet per se sciant, possint, ac velint: sicque omnibus in rebus quæ eveniant, quasque sustineant (ut ut sint) me autorem & *Cuncta eventura cōmittenda divina providentia ejq; acquiescendum in omnibus.*

non

non proximum firmo confiderantes proposito quadam invicta & inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non solùm æquo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus (sive intrinsecus sive extrinsecus accidãt) meæ ineffabilis dulcedinem charitatis, quod est *sentire de me in bonitate*: in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibusque attẽdere, credere, & læto animo gratoque meditari, me disponere omnia suaviter & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire.

*Omnis hominis perditio consistit in propria voluntate, vel in amore sui-ipsius.*

Atq; hujus ultimæ considerationis compositionisque sanctissimæ, maximum bonum nil aliud corrumpit impedit & perdit, quam propria voluntas vestra & amor vestri, quæ si tollerentur à vobis, tolleretur & infernus à vobis: tum ille qui maledictis æterno mentis & corporis tormento, paratus est; tum ille quem in mortali vita multiplici

plici agitatione animi ac vario curarum æstu, immo sustinetis errore. Igitur si vivere cupis & in hoc labenti sæculo per gratiam & in illo stabili sempiternoque per gloriam, moriaris, *temetipsam abnegans & propriam voluntatem deponens. Beati enim mortui qui in Domino moriuntur,* & *Beati pauperes spiritu*, quoniam tales me vident in hac peregrinatione per mutuum amorem, visuri deinde in patria per gloriam & honorem, Amen. Luc. 9. Apoc. 14. Matt. 5.

---

# VITA SERVI DEI NICOLAI MOSCICENSIS.

*Ex actis capituli Generalis, Valentiæ, 1647. celebrati, de verbo ad verbum desumpta.*

P. Fr. NICOLAVS MOSCICENSIS Sac. Theol: Doctor, Vir Religiosissimus, 58. annis in Religione peractis, nullius vnquã mali

mali nominis, aut turpis famæ maculâ laboravit. Constitutionum Ordinis, præcipuè silentij, rigidissimus observator, ambitionis & præeminentiarum capitalis hostis, multis ante obitum suum annis omnibus Religionis officijs, & gradibus valedixit. In absolvendo divino officio, & Sacrosancto Missæ Sacrificio, scrupulosissimus; cæremonias Ordinis exactissimè ab omnibus observari faciens, grandævam senectutem in pura & literali Constitutionum nostrarum observantia finire satagebat.

Literarum peritissimus, in enodandis casibus Conscientiæ, & difficillimis juris Ecclesiastici locis interpretandis tantâ fælicitate pollebat, ut ad eum summi Regni Antistites, tanquã ad Oraculum confluerent. Præclaræ doctrinæ suæ reliquit monimenta, præcipua ista sunt. Rudimenta Logices doctissimè simul & clarissimè collecta,

Tyro-

Tyrocinium Artis pœnitentiariæ, Elementa ad Sacras Confessiones. Examen approbandorum. Academia Pietatis. Infirmaria spiritualis, & rudimenta Christianæ perfectionis Ad SS. TRINITATEM specialiter devotus, ipso die festo, Sacrosancto Missæ Sacrificio devotissimè peracto, apoplexia correptus, in Conventu Cracov: eiusdẽ SS. TRINITATIS placidissimè obdormivit. Cujus sanctitatem mira populi devotio cum præcisione illius vestium, cinguli & Rolarij testificata est.

## DE STVDIO MEDITAtionis.

Pater Magister NICOLAVS MOSCICENSIS, p. 12. Elem: ad S. C.

*Multa sunt, quæ nos movere & in amorem meditationis rapere possunt.*

I. Excel-

I. EXcellentia Meditationis. Nam meditatio habet excellentias omnes, quas habet oratio, de qua quidam ex antiquis patribus, teste Theodoreto in Religiosa historia dixit: Medicos quidē varia medicamentorum genera ægris pro morborum varietate adhibere solitos: cæterum ad omnes animorum morbos depellendos, omniaq; huius mundi seu vitæ incommoda perferenda, orationem esse commune medicamentum atque remedium Et præter hæc ipsa meditatio habet propriam excellentiam, videlicet hominem meditationi deditum transformare in DEUM. Equidem magnum est DEUM propè habere, quod invocantibus eum evenit: maius verò coniungi DEO: multò magis uniri ipsi, sed maximum transformari in DEUM, quod cōtemplationi seu orationi mentali proprium est, per quam & vocali convenit: ita ut quem-

quemadmodũ poma diu multumque ſaccharo ac melle decocta, vix proprij ſaporis aliquid retinent, ſed ſolius ſacchari dulcorem referunt: ſic anima divinarum rerum ſtudio & contemplationi addicta, vix aut nihil in ea veteris hominis priſtiniq; ſaporis quicquam reſidet, ſed ſolius Chriſti imaginem ita refert, ut cum Apoſtolo dicere poſſit: vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Chriſtus.

*Ex hac autem excellentia multæ aliæ derivantur.*

PRIMA.

Quòd meditationi aſsuefactus, eſt ſuper omnia; quia & DEUS in quem ipſe transformatur eſt ſuper omnia. Eſt autem ſuper omnia: terrena quidem per contemptum; cœleſtia verò per poſſeſſionem.

SECVNDA.

Quòd poteſt omnia, atque adeò omnibus inimicis potentior erit.

Nam

Nam si, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: quid illi qui transformantur in Deum, qui potest omnia.

TERTIA,

Omnes influxus spirituales, sic Deo coniunctus, facilè capere poterit, sicut & mundus hic inferior, teste Aristo: in Metheoris, propterea superiori mundo coniunctus est, ut cœlestes influxus astrorumque virtutes participare possit.

QVARTA.

Homo purior efficitur: nam sicut cera, ad solis radios diu exposita, candida fit, & quo diutiùs sub sole manet, eò fit candidior; ita anima radijs justitiæ solis exposita (quod quidem fit per elevationem mentis in Deum) purior indies efficitur. Hinc Eccl: 2. Qui timent Deum, præparabunt corda sua, & in conspectu eius animas sanctificabunt.

Quinta,

QVINTA.

Facilè ſcire poterit, quo pacto in corde noſtro tabernaculum Deo ſit ædificandum, quemadmodum & Moyſes montem conſcendens & cum Deo verſans, ab eo didicit, quemadmodum illi tabernaculum fabricare deberet.

SEXTA.

Homo meditationi deditus perficitur atq; in ſuo eſſe conſervatur res enim omnes tunc in ſuo eſſe conſervantur, cùm ijs cauſis vniuntur, à quibus exiſtendi initium acceperunt. Hinc piſcis gaudet in aqua, planta immobilis manet in terra, pulli ſive avium ſive ferarum, lateribus ſemper matrum hærent, ipſaſq; quocunque ierint ſequuntur.

SEPTIMA.

Sequitur denique, eum ſic conjunctum Deo, omnia ſecreta eius cognoſcere. Quæ verò? An forte S,

te. S. TRINITATIS. Incarnationis? hæc enim sunt præcipua. Minimè, ista siquidem paganis, & Iudæis, secreta sunt, non verò nobis Christianis, quibus cõmunia sunt. Sed illud; vacate, & videte quàm suavis sit Dominus, quàm bonum sit eum cognoscere, diligere & contemplari. Et hoc est illud manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit. Grego: Non potest sciri, nisi â quo possit haberi: hoc sciri potest, dici non potest.

II. Quòd nos movere debet ad studium meditationis, est finis propter quem conditus est homo. Hic autem est secundum D. Augustinum ut summum bonum intelligeret ac amaret.

III. Quia officium boni & iusti viri est, in lege Domini meditari nocte dieque.

IV. Quia meditatio continet hominem in officio suo: & præterita non prætereunt ei & futura sunt

sunt. Vnde D. Bonaventura testatur suo tempore per experientiam multos profecisse, mediante hoc exercitio.

V. Nam meditatio bonos affectus conservat, malos verò eradicat; sicut per oppositum, quia non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. *Psal 6.*

VI. Quoniam meditatio excitat devotionem & efficit. Vnde D. Augustinus: medicatio parit sciētiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio autem commendat orationem.

VII. Quoniam meditatio ornat Religiosum & spirituale, vnde Caietanus 2. 2dæ. q 82. ar. 3. docet has meditationes debere esse quotidianas religiosis & spiritualibus. Qui nec hoc nomine (inquit ipse) censendi sunt, qui ad minùs semel in die non se transferunt ad studium meditationis.

VIII.

VIII. Multa exempla Sanctorũ. David quidem proponebat Dominum in conspectu suo semper, & tota die meditabatur legem Domini. Gregor: Nazianen: amore huius studij ductus, refugit Episcopatum. B. Dominicus etiam in itinere socijs suis dicebat: præite, cogitemus aliquid de Salvatore nostro. B Franciscus per integram noctem vacans huic exercitio: hãc solam oratiunculam meditabatur: Da mihi Deus, ut me & te cognoscam.

IX. Voluptas animi. Neq; enim habet amaritudinem convictus ejus sed neque tædium conversationis illius, sed gaudium & lætitiam. *Sap. 8.*

Meditationis exercitium, quædam exigit ante se, quædam in se, alia post se.

Ante se lectionem & præparationem.

*De Le*

## De Lectione.

DE Lectione dicendum est, quæ, & qualis esse debeat. Quæ? Ea, quæ sit materia meditationis. Materia autem meditationis est omne illud, quod nos movere potest ad aliquem salutarem affectum, sive amorem Dei, sive timorem, odium peccati, horrorem gehennæ, desiderium salutis &c Eius autem generis sunt, tum perfectiones divinæ, tum beneficia, tum loca Sacræ Scripturæ, tum vitæ & exempla Sanctorum, tum defectus humani, miseriæ & pericula, tum mundi vanitas, & vitæ brevitas, tum severa iudicia Dei.

Qualis autem lectio esse debet? non festina sed lenta: non negligens sed attenta: non prolixa sed sufficiens, ne suffuretur utiliora exercitia; non currens sed ruminans. Occurrente autem aliquo notabili loco, subsistendum est & ruminandum. non tantùm intel-

lectiva,

lectiva, sed etiam affectiva, ut sic non tantùm intellectus pascatur lectione, sed etiam voluntas gustet & afficiatur delectatione: non muta sed respondens, nimirum occurrente aliquo devoto loco, respondendum est Deo, qui per lectionem ad hominem loquitur. Respondẽdum autem est per aliquam brevem seu jaculatoriam orationem, illi loco congruentem.

## Notatio.

LIcèt lectio non debeat esse prolixa, tamen qui distractionem in corde patiuntur, satius est meditationem distractam convertere in lectionem attentam.

## De Præparatione.

MEditationem præparatio præcedere debet: nam & in cythara fides cõponuntur priusquàm concentum edant.

Præparatio autem in multis consistit: nimirùm in corporis affectione

ctione per jeiunium, abstinentiam, flagellationem, cilicium, vigiliam, durum lectum, tenuem & sobriam mensam: ista enim sunt fomenta & bases devotionis. Et prætere a regula universalis est, Deum gratiam suam dare, prout dispositi fuerimus: magis autem dispositi erimus, si non tantùm Spiritum sed etiam corpus præparaverimus.

*Secundò.* Consistit præparatio in meditationis desiderio. Desiderium enim cōmunis est mater omnium virtutum, dummodo non tepidum sed intensum & vehemens est. Iuvabitur hoc desiderium, si antequā cubitum eas, hanc sanctam cogitationem meditationis habeas: sic enim fiet, ut quemadmodum is qui vesperi carbone tegit cineres, facile manè focum struit, rogum parat, ignemque accendit, ita & is qui cum hac sancta meditatione dormitum ijt:

Iuvabitur adhuc, si antequam cō-ponas te ad somnum, orationem pro hoc sancto desiderio facias: manè enim fructum huius orationis, in corde tuo invenies.

Fovebitur hoc desiderium si quotiescunque expergisceris, versiculū Gloria Patri, vel aliam oratiunculam proferes. quod etiam ad pellenda phantasmata, & turpes cogitationes proderit. Fovebitur adhuc, si quam primùm evigilaberis è lecto surrecturus, hanc sanctam cogitationem statim arripias antequā externa cogitatio præoccupet te. De hoc desiderio vide Granatensem libro 1. de devotione cap. 4. & 14.

*Tertiò* Præparatio consistit in cordis custodia seu munditia & purgatione. Purgandum est autem, tum à vanis, tum à noxijs cogitationibus, tum ab inordinatis affectibus seu desiderijs. Quemadmodum enim Pictores, priùs solent

lent mundare & dealbare tabulam, postea verò pingere imaginem: ita in tabula cordis nostri priùs extergere supradicta debemus & mũdare, antequam pulchram DEI imaginem per meditationem pingamus. Vnde & Dionysius formationem DEI assimilat sculpturæ, nam sicut sculptura in lapide vel ligno per ablationẽ fit: ita in corde nostro Dei formatio. Aurhoritas Grego: In altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. De hac cordis custodia, vide Granatensem cap. 6. & 22.

*Quartò* Præparatio consistit in figura corporis, ut videlicet sit flexio poplite, & signo crucis impresso fronti, ori, & pectori. Beatus Pater Dominicus quatuor formas in corpore observare solebat, tempore orationis: aliquando toto corpore humi prosternebatur, aliquando stabat erectis in cœlum oculis: aliquando manibus in cru-

modum expansis, quandoque verò sursum erectis, interdum verò vulgari modo, genibus flexis.

*Quintò.* Dispositio consistit in oratione succincta seu jaculatoria, videlicet per psal: Ad te leuaui. vel illam oratiunculam; Actiones nostras. Vide lib. 1. Granatens. de mediatione, capite 8.

*Sextò.* Consistit in loci temporisq; apti electione; aptus autem locus est, obscurus, tempus verò, matutinum, vespertinum, & nocturnum. Vide Granatens: ut supra cap. 14.

*Septimò.* In apprehensione cõsortij & societatis in hoc exercitio; cogitare enim debes, quot per totum mundum Religiosi & Religiosæ, pueri & puellæ, sacerdotes & sæculares, eodem tempore tecum insistunt huic sancto exercitio, quorum aliqui intima suspiria ducunt, aliqui flagellationes usq; ad sanguinem iungunt.

*Octavò.*

*Octavò.* Consistit præparatio in sui ipsius accusatione veniæque petitione, sive hoc fiat solo corde, admiscendo examen conscientiæ, sive per generalem confessionem, & psalmi alicuius pœnitẽtialis subiunctionem. Et hæc est illa calceamentorum extractio ad intrãdum terram sanctam & vestimentorum ablutio ad ingrediendum, in sancta sanctorũ Hanc præparationẽ natura docet, ut priùs evellãtur inutilia quàm plantentur, fructifera ut priùs petam veniam ab amico offenso, quã nova beneficia.

*Nonò.* In propriæ indignitatis confessione & Dei bonitatis prædicatione: debet enim judicare se indignum esse omnibus quæ Deus fecit: seque accessisse ad hoc sanctum exercitium, magis ut gratias agat de præteritis beneficijs quàm ut alia accipiat: vnde promptus esse debet ad suscipiendũ, quicquid occurrat, sive consolationes, sive

desolationes, ariditates & siccita-
tes: neque enim propriæ utilitatis
causa, instar sui amatorum acce-
dere debet ad sanctam meditatio-
nem, sed implendæ diuinæ volun-
tatis & sui officij gratiâ.

*Decimò.* Præparatio consistit in
consideratione divinæ maiestatis
in cuius cõspectu stamus. Et qui-
dem audit verba nostra, & videt
devotionem, tanquam testis & iu-
dex. Ea verò est maiestas, ut com-
paratione eius totus mundus sit
tanquam formica, imò minùs for-
micâ. Et ut verbis Sapientis uta-
mur Sapien: 11. tanquam momen-
tum stateræ & gutta roris antelu-
cani. Ante hanc divinam maiesta-
tem, ita multa millia Angelorum
stant ut contremiscant: ipse filius
Dei in oratione, quam ad Patrem
fundebat, in terram proiecit se:
quid me, qui pulvis & cinis sum
(ut ille Patriarcha ait) facere par
est? Ex hac consideratione, magna
re-

reverẽtia naſcetur in Deum, magna humilitas, attentio, timor, & tremor: Vide hanc materiam in Granatenſi de devotione cap: ſeptimo & parte 2da Memorialis libr: 4. & multis alijs locis.

*Vndecimò.* Præparatio conſiſtit in conſideratione qualitatis negotij, nimirum quid acturi ſimus: nam in conſpectum Dei venturi, Deum allocuturi. Quid ibi facturi? Rem maximi momenti tractaturi, qualis eſt ſalus noſtra & proximorum. Quid comparaturi & impetraturi? magnam eleëmoſynam, ſpiritum devotionis, donorum, virtutum, gratiarum: arhabonem vitæ æternæ. Itaque quâ devotione Apoſtoli expectabant promiſſum Spiritum Sanctum, eadem & tu, affluentiam eiuſdem Spiritus ſancti.

*Duodecimò.* In animi fortitudine contra tentationes quaſcũque. Neque enim ſemel tædium in hoc

exercitio experieris: multoties tibi veniet in mentem propositū deserendi tale exercitium, & via laxior, sæpius tibi occurrent alij, huic exercitio non vacantes, nec propterea reprobi vel damnati. Hæ sunt illæ muscæ quas abigebat Abraham à suo sacrificio quibus etiam vir cōtemplativus ex tota fortitudine resistere debet. Vide Granatensem. lib 1. cap, 5.

## De Ipsa Meditatione.

HÆc debet esse non velox sed gravis & lenta, eodem ferè ordine absolvenda, quo & lectio facta. Non tantum intellectu cogitando ut faciunt qui se componunt ad studendum pro concione ad populum habenda: nec tantum memoria revoluēdo ea quæ lecta sunt, sed vel maximè curandum est, ut accendatur inflammeturq; voluntas, gustet & odoret Deum: elevādo cor in ipsum per aliquos affect' utiles,

utiles, qui affectus non sunt magno conatu exprimēdi, tunc enim magis deficeret, & memoria fatigaretur, cerebrum læderetur. de hoc vide fusiùs Granatensem parte 2. Memorialis. libr. 6. & in Floribus eius,

*Hæc meditatio habet post se tria.*
Gratiarum actionem, Sacrificiũ spirituale, & petitionem.

## *De Gratiarum Actione.*

PRo qua cum præcedentibus continuanda & introducenda, ex rebus quas quis meditatus est, sumatur occasio, ut si de peccato meditatus est: gratias agat Deo, quod illum vel liberauit ab ipso, vel non statim morte subitanea, &c. punivit. Si de vanitate mundi, gratias agat: quod Deus ei oculos aperuerit. & sic de alijs. Vnde subiungat oratiunculã: Agimus tibi gratias Omnipotens DEUS, pro universis beneficijs &c.

Huc annectat omnia reliqua beneficia, pro quibus seorsim gratias agat: nimirum creationis, conservationis, gubernationis, redemptionis, vocationis, justificationis, glorificationis. & alia infinita tam communia, quàm propria, sive bona collata, sive mala exclusa

Bona, naturæ, fortunæ, gratiæ, præterita, præsentia, futura, cognita, occulta.

Mala verò, culpæ & pœnæ, pericula, insidias, laqueos Diaboli, tentationes, occasiones peccandi, à quibus omnibus nos Deus præservavit, impedivitq; inimicum eunctem ad nobis nocendum.

Et quoniam tu solus insufficiens es Deo gratias agere: invocare debes creaturas, tam cœlestes quàm terrestres, ut te in hoc officio adjuvent, per illud canticum: Benedicite omia opera vel Psal. 101. Benedic anima mea Domino. Et alia, secundùm quod Dominus inspiraverit,

## De Sacrificio seu Oblatione.

HÆc connecti debet cum præcedentibus, hoc modo

Quid itaque retribuam Domino pro omnibus beneficijs quæ præstitit mihi? subjungat.

En me ipsum totum offero, & omnia mea, & quidquid feci, facio, & faciam: hoc totum in laudem, gloriam & honorem Domini mei converto, sic me totum Deo meo dedo; ut velim esse mancipium vel servus catenis vinctus ut abnegē voluntatem propriam, & sim aptus ad faciendam S. Dei voluntatem, Ante omnia verò, offerenda sæpiùs, & allegenda sunt merita & labores Christi. Vide Granat: in Memoriali ut supra.

## De Petitione.

HÆc sic continuanda est cum præcedentibus: ut digna hostia tua, o Domine, efficiar: multa pe-

to à te,

to à te, quæ non deneges mihi antequam moriar. Suppliciter autem prostratus ante tuam divinam maiestatem protestor, non me discessurum hinc, donec benedixeris mihi.

Sunt itaque petenda ea, quæ ad salutem sunt necessaria.

Eorum autem quædam spectant ad Deum: ut omnes creaturæ serviant & laudent eum, quia omni cultu dignus est.

Ad alios: ut omnes gentes cognoscant & serviant tanto Domino, Pagani, Iudæi, Schismatici, Hæretici.

Deinde pro Ecclesia Catholica.

*Tertiò*. pro cunctis Rectoribus & Prælatis.

*Quartò*. pro parentibus, amicis, consanguineis, familiaribus, benefactoribus.

*Quintò* pro curæ suæ commissis.

*Sextò*. pro iustis & peccatorib⁹.

*Septimò*. pro defunctis.

*Octavò*.

*Octavò.* pro inimicis.

*Nonò.* pro pauperibus, oppressis.

*Decimò* pro infirmis, afflictis, ad mortem condemnatis, servis, captivis, bellum contra hostes Ecclesiæ gerentibus, agonizantibus, navigantibus, peregrinis, gravidis, parturientibus, obstinatis, quacũque necessitate laborantibus, pro regno, civitate, servientibus tibi, pro peste, fame, bello, &c. auertendis, pro fructibus terræ producendis & conservandis.

Ad se. pro gratia quâ peccata remittantur, vitia eradicentur, passiones refrænentur, cordis levitas expellatur, detestatio honoris, & voluptatis, amorisq; sui ac indulgentiæ conferatur: inconstantia in bonis propositis auferatur.

Pro fundamentis totius vitæ spiritualis petendum: quæ sunt, bona compositio hominis interioris, & exterioris. Interior est, in corde Deum præsentem semper circumfer-

cumferre. Exterior: omnia facere tanquam si stares in præsentia Dei judicis & testis totius vitæ tuæ. De qua re vide Granatensem in exercitijs prope finem, cap. 8 de petitione fol. 110. omnino legatur.

3. Discretio & sollicitudo in omnibus agendis & dicendis, ut omnia rectæ rationi sint cōsentanea. frænum & custodia lingvæ, quo licentia eius cohibeatur, aspera & rigida propriæ carnis tractatio.

4. Illa quoque petenda, in quibus summa perfectio consistit. Hæc autem sunt, obedientia perfecta, & cum divina voluntate conformitas in omnibus. mortificatio propriæ voluntatis fortitudo in superandis difficultatibus, affectibus, inclinationibus, & adversitatibus.

5. Altissimæ quoque virtutes, scilicet humilitas interior & exterior, paupertas spiritûs & corporis. patientia in adversis & tribulationibus.

nibus. puritas intentionis in bonis operibus.

6 Illæ quoq; virtutes, quæ sunt principium & finis totius perfectionis Fides invicta. secura spes. amor Dei. timor judiciorum Dei. reverentia illius maiestatis, & perseverantia in hoc exercitio.

7. Illa quoque quæ statum Religionis concernunt, ut castitas corporis, cordis munditia, terrenorũ ac voluptatum contemptus, vanæ sollicitudinis & curæ fuga, in divino officio diligentia, exercitiorum Religionis sapor.

8. Illa prætérea quæ ad emendationem vitæ spectant, ut pœnitentia recta, verus dolor pro peccatis, firmum ac stabile propositum non peccandi.

Pro horum impetratione Litanias de omnibus Sanctis subiungere potest.

*Admonitiones.*

1. In petendis his virtutibus

debes

debes paululum quiescere, & circa singulas cor ad Deum elevare.

2. Non est necessarium semper omnes has partes meditationis observare.

3. Non est despondendus animus, aliquando dulcedinem devotionis anima non sentit, suo enim tempore recompensabit Deus.

Quòd si animus fuerit distractior, recolligendus erit per lectionē alicujus devoti libri, & orationem vocalem paulò fusiorem.

5. Huic exercitio statuēdum est tempus quàm fieri potest longissimū, & præstat semel & simul orare plusculum quàm bis modicum.

6. Optimum consilium Granatensis est: per nullam penitus occasionem prætermittere horam, jam semel ad hoc exercitium delectam. Si namq; hoc exercitium semel prætermiseris, vix tibi patebunt fores revertendi ad illud.

*VT novitijs & Iunioribus magis possimus prodesse, apposuimus breve formulare, concernens communes mores Religiosorum. Quo novitijs ab ipso statim ingressu commodissimè imbuantur & instruantur, discantq; jugum Domini ac Religionis portare ab adolescentia sua. Insuper quotidianum pium exercitium, quo facilius ad pietatem & Religionem provocentur, atq; ad devotionem excitētur. Vltimò hæc omnia in sacra Scriptura fundari, & ex doctrina* CHRISTI *aperte colligi ostendimus.*

# FORMVLARE NOVITIORVM SECVNDVM QVOD mores suos conformare studeant.

## DE CORPORALI MEMBRORUM *dispositione religiosa.*

I. MAnus caveant ab omni contractu sui indecedenti, & injurioso proximi; easq; gerant

rant ſub ſcapulari cancellatas.

2. Ne vagentur unquam, aut diſcurrant, nec intrent loca ulla prohibita: omnem inſolentiam & laſciviam vitare ſtudeant.

3. In ſeſſione caveant genuum divaricationem, & tibiæ ſuper tibiam poſitionem.

4. Incedant cum maturitate; nec facilè ſe moveant, ſine cauſa præmeditata.

5. Cum ſteterint, non ſint ut arundo mobiles, ſed potius gradu ſuo fixi permaneant.

6. Oculis non ſint vagabundi, leves vel curioſi; nec videre appetant, quod concupiſcere non licet.

7. Linguam refrenare ſilentio diſcant, maximè in locis prohibitis: & alibi vix pauca loquantur, pro ſola neceſſitate: & verba prius ad limam, quam lingvam veniant; & audire potius, quàm loqui exoptent.

8. Nullum verbum injurioſum ſcan-

ſcandaloſum vel inhoneſtum unquam proferant: Nec aliquid cum juramento aſſeverent, nemini cognomen imponãt, vel ſine pronomine (frater) appellent.

9. Quiſque majoribus ſe, capite nudo loquatur, cum religioſa quadam verecundia.

10. Vultum jucundum & gravem habeant; non moroſum.

11. Ad cachinnos & riſus, pronum os non habeant, niſi fortè moderatè ſubinde id fiat.

12. Cervicem collo erectam, aut ſupinam non gerant, ſed moderate inclinatam, non tamen pendulam.

13. Iram, impatientiam, moroſitatem, aut paſſionem aliam, in vultu vel actu non oſtendant.

14. Oculos ſublimes nõ habeant, nec ſupercilia erecta, ſed potius depreſſa gerant.

15. Aures non ad vana & ſæcularia, ſed ad pia & ſalutaria faciles præbeant.

16. Na-

16. Nares ad fætores (si subinde occurrant) non sint nimis delicati; nec notabiliter obturentur, sed pro illicitis odoribus fortè in sæculo usitatis, ista ut pœnitentiam ferant.

17. In venia facienda, non prosternāt se in ventrem, sed in latus dexterum & in longum, tibiam sinistram super dexteram retectam, tenendo.

18. Inclinationes suas debito modo exhibere studeant: nec unquam inclinando sedeant; nec caput aliqualiter attollant.

19. In genuflexionibus, nitantur super genua, capite erecto, oculis demissis, manibus sub scapulari cancellatis per modum crucis.

## CIRCA VESTES.

1. VEstes religiosè, non lascivè aut curiosè corpori suo aptare studeant: nec altè nimis, & inverecundè, succingant.

2. In

2. In cella ſedendo non nimium veſtes elevent, & minus in publico, ſed ſeipſos honeſtè cooperiant.

3. Sedendo aut inclinando cappam nigram ſuper genua complicent.

4. Capucium non ſit ſuper oculos reductum, & ſine caputio non incedant: pileolum nunquam ſine capucio gerant.

5. Lectum ſive ſtratum, ſemper manè decenter componant, & cubiculum ſervent mundum, ſæpius purgando.

6. Veſtes & quæcunque alia indigentibus libenter concedant habita tamen licentia.

7. Viles Veſtes & detritas, carius complectantur, & libentius habeant, quam pretioſas: nec facilè multiplicent.

## IN CHORO.

1. AD Oratorium omnes tempeſtivè, dato primo ſigno conve-

conveniant: ad Templum ſimul deſcendant; ſemperq́; bini & bini incedant, orantes pro defunctis.

2. Choro omnes interſint diu noctuque: ibique clarè, diſtinctè, attentè, divinum perſolvant officium.

3. Simul incipiant canere, ſimul deſinant, ſimul inclinent, ſimul ſedeant, & ſurgant, ſimul eant, & redeant; conformitas ſit in omnibus.

4. Oculorum dimiſſio, manuum compoſitio, ſit gravis & quieta: corporis ſtatus, omniumq́ue geſtuum moderatio exterior, pietatem interiorem, & religionem teſtentur, ad ædificationem ſæcularium.

5. Veniam cum proſtratione faciant, ſerius veniĕntes, graviter errantes, alios turbantes, malè legentes lectiones, vel calendas.

6. Digito terram in loco tangant ultro, leviter errantes legendo,

do, cantando, non jnclinando, strepitum excitando.

7. Quæcunq; legenda vel cantanda, semper prius ac tempestivè prævideant.

8. Circa ministerium Altaris, devotè, & reverenter se habeant, junctis semper manibus. Sacra vasa ac ornamenta Ecclesiæ, diligenter custodiant, & reverenter pertractent.

## IN REFECTORIO.

1. SImul descendant, de more pro defunctis orantes: lavẽt manus citò eántque ad locum. Refectorium intrantes ante imaginẽ inclinent, inque partes & choros se dividant.

2. Sedentes ad mensam, panem non scindant nisi dato prius signo à Prælato: nimium quoque panem non præscindant, neque in micas conterant.

3. Cibum non avidè vorent, nec obsonia delicatiora affectent, ne

limites ſobrietatis vel temperantiæ excedant, aut parſimoniam paupertatis violent.

4, Honeſtatem & civilitatem ſervent, ne vel comedendo vel excreando, vel aliquid faſtidiosè rejectando, vel etiam felibus obijciendo, alijs nauſeam pariant.

5. Dextera cibum ori miniſtrēt, non ſiniſtra; & vtraque manu bibant. Si quem cibum non aſſueverint, aſueſcant: & plus pulmenti, quàm obſonij comedant. Mappamque non deturpent: nec habitum commaculent, ſed mundum cuſtodiant.

6. Sedeant erecti, non proni: Oculis ſubmiſſis, & attentis auribus, ea quæ leguntur auſcultent, & ſilentium ſtrictè teneant.

## DE LOCVTIONE.

1. IN colloquijs, ſint ſine clamore, ſine cachinno, geſticulatione, contentione, aſperitate, di-

cacita-

cacitate; & sæculari vanitate ac levitate.

2. Certis verò temporibus & locis, utpotè in claustro, dormitorio, cellis; in refectorio & oratorio, semper servent silentium.

3. Nunquam sæcularibus, sine licentia speciali, & socio deputato loquantur: Atque eos tum religiosa affabilitate, ædificare studeant. Rumores narrare, vel captare caveant, sed potius spirare & sapere pia & Sancta addiscant.

4 Professis nunquam loqui licitum novitijs, multo minus sacerdotibus vel laicis, nisi urgente necessitate, & tunc paucissimis verbis.

5. Lites aut nullas habeant, aut quam citissimè finiant; ne fraterna charitas lædatur, vel tranquillitas mentis turbetur.

6 Vocati & appellati, familiariter respondeant, reverenter & hilariter. Et quocunque ire necesse

fuerit, nõ vadant nisi duo vel tres.

7 A Superioribus appellati, & reprehensi, statim veniam faciant prostratique maneant, donec verbo vel signo erecti fuerint.

8 Si quando superioribus loqui necesse fuerit, prius osculando scapulare, licentiam petant, capite inclinato, debita cum reverentia.

9. In funeribus & processionibus, alijsque publicis actibus sine fabulis & evagatione oculorum incedant, & socium collateralem cum debita distantia observent.

## DE TEMPORE.

1. PRæsentiam Dei, ubique locorum, sedula mente, semper perpẽdant, qui nusquam abest, & omnia intuetur.

2. Temporis benè impendendi, otijque fugiendi præcipuam curam habeant.

3. Proinde nunquam sint uspiam sine Rosario (quod omnes crebrò debent recitare,) aut pio ali-

quo

quo libello, ut vel orent, vel legãt.

4. Et ne tempus infructuosè terant, etiam quando colloquium conceditur, poterunt tunc miſcere ſermonem, vel de piè lectis auditis, vel de re Litteraria, vel ceremonijs Ordinis, rubricis, cantu & ſimilibus.

## DE SERVITIIS
### & obſequijs.

1 SErvitia ſunt neceſſitatis, obſequia charitatis; ad utraq; ſint promptiſſimi

2. Servitia in templo ex rubricis accuratè addiſcant & practicent: ut ſunt miniſteria ad altare, in choro, in proceſſionibus, in ſepulturis aut funeribus.

3. Servitia in refectorio mundando, apparando, cibos inferrendo, vel auferrendo. Servitia alia ſunt prout in domo occurrunt.

4. Obſequia vero ſunt, aliorum ſupplere vices, etiam ſpontè ac promptè; præcipuè in humiliori-

bus servitijs; ut in lotione pedum, in verendo, laborando in horto; (Et quod magis charitativum est & meritorium) ægris ac infirmis inserviendo.

## DE REVERENTIA.

1. Reverentiam debitam, exhibeant, tam personis, quã locis sacris, & imaginibus, ut dum vel altare, vel imaginem sacram, aut Superiorem, aut Patrem, aut fratrem transeunt, caputio detracto, aliquali inclinatione, honorem exhibeant, cum maturitate gestus, incessus & vultus elucente in omnibus humilitate religiosa, suavique magis quam austera.

2. Fit autem reverentia plurimis modis: ut cum transeunti, vel assidenti assurgitur: cum prætereũndo alium, non propè nimis transitur: cum decenter assurgitur: cum alter humili servitio, gestu reverẽtioso, honore & alloquio antevenitur. Cum dexter, honoratiorque

que locus, actus prior, aut præcedentia in sessione, ambulatione, vel etiam sermone, alteri defertur. Singula tamen absque nota ambitionis sæcularis exhibenda.

## DE ORATIONE
### & Lectione pia.

1. STudeant circa cultum DEI, & B. MARIÆ VIRGINIS, nostræ singularissimæ Patronæ, ferventissimi & devotissimi semper existere: cum constet, tam cultum VEN. SACRAMENTI ALTARIS, quam NOMINIS DEI, & SACRATISSIMI ROSARII, principalibus ac hæreditario jure, Ordini nostro esse divinitus commendatum, & traditũ.

2. Quare in omnibus dubijs; tẽtationibus, angustijs, difficultatib⁹, actionum initijs, in recentissimis peccatis, statim DEUM, & B. MARIAM Virg. cõfugere non differãt; & per pias preces auxilium continuo implorent.

3. Studeant etiam non tam Deo verba & voces dare, quàm attentionis & devotionis affectum

4. Assuescant inter privatim legendum vel studendum, ad jaculatorias orationes, genuflexiones; nunc pro hac nunc pro alia necessitate seu publica, seu privata.

5. Assuescant in omnibus actionibus, & sermonibus, cor recollectum custodire; ad DEUM ire, ad nostra exire, ad DEUM redire. Desiderare propter ipsũ bona agere, & pati: humiliari & mortificari: sicq; habitulariter quasi semper orare. Et DEUM tam in prosperis quam adversis semper laudare.

6. Tametsi quovis locorum Deum orare, licitum sit & laudabile, multo tamen decentius ac congruentius in communi, quàm in privato & præcipuè in Templo, propter devotionẽ loci, præsentiam Ven. Sacramenti, Reliquias Sanctorum, assistentiam Angelorum

lorum, & Societatem Fratrum: non ergo facile se subtrahant à choro, vel divino officio.

7. Quotidie lectione pia, animum pascant; lectaque in succum vertant, inque usum. Quæ proinde amplius placuerint, in libellum adnotare studeant.

## DE MEDITATIONIBVS.

Pias meditationes singulis diebus instituant, quibus in amorem Dei inardescant, & in pietate & devotione magis proficiant.

Materia autem meditandi varia esse potest, & diversis temporibus diversa, prout hic eis fusè suppeditatur

1. Beneficia Dei generalia, vel particularia.
2. Opera creationis.
3. Opera redemptionis.
4. Mysteria vitæ Christi.
5. Mysteria passionis Christi,
6. Mysteria gloriosæ resurre-

ctionis & aſcenſionis ejuſdem.
7. Extremum judicium.
8. Præmia Bonorum.
9. Pœna malorum.
10. Miſericordia Dei.
11. Vindicta divina.
12. Peccata ingratitudinis generalia vel particularia.
13. Miſeriæ perverſorum, & hæreticorum.
14. Gaudia Beatorum.
15. Tormenta damnatorum.
16 Creaturæ DEI.
17. Scripturæ ſacræ.
18. Profectus ſpiritualis.
19. Defectus quotidiani.
20. Miniſteria Angelorum.
21. Fallaciæ dæmonum.
22. Exempla Sanctorum.
23. Perverſitas malorum
24. Status interior.
25. Status exterior.
26. Peccata propria, vel aliena
27. Dei omnipotentia.
28. Providentia.

29. Scientia.
30. Benignitas.
31. Largitas.
32. Mors animæ vel corporis.
33. Animæ in purgatorio.
34. Iudicii Dei manifesta & occulta. Aliaque quæ pia lectio & devotio abundè suggerunt, ad hoc pietatis exercitium continuãdum; omnibus Religiosis vtilissimum.

Affectus autem piarum meditationum, sunt Spes, Timor, Amor, Dolor, Gemitus, Suspiria, Admiratio Exclamatio, Supplicatio, Gratiarum actio, Reverẽtia, Verecundia & alia, quæ per experientiã rectius discuntur, quam per doctrinã. Effectus quoque harum, & fructus sunt uberrimi in animabus.

Interea visiones vel revelationes, non expetant, ne illusiones incurrant.

Temeraria vota caveant; consolationes internas gratanter & humiliter acceptent: Desolationes

patienter tolerent, seq; culpent.

Compunctionem & devotionem appetant & exoptent; si absint, earum desiderium Deo offerant.

Conscientias semper mundas habere studeant: & in dubijs erroneis, Patri suo Spirituali, seu Confessario in omnibus pareant.

Intentionem semper rectam, & affectionem puram teneant.

Damnent voluntatem propriã, vel suspectam habeant. Privatos amores, sensualitates, proprias opiniones detestentur. Proprietatem ut venenum mortiferum evitent. Aliena dicta vel facta non judicẽt.

Denique mortificationi sensuũ; abnegationi sui, & divinæ resignationi, se totos consecrent: superiorumq; directioni sese humiliter submittant, cum obedientia prõpta, inviolabili castitate, in voluntaria paupertate, propter Christum.

## PRÆCIPVA STVDIA Religiosi.

1.

Abnegare seipsum.
Extirpare vitia.
Plantare virtutes.
Amare Deum:
Sibi Mundoquè mori.

2.

## NECESSARIA ad ANIMI Tranquillitatem.

Infima petere.
Silentium custodire.
Non contradicere.
Seipsum in aliena non ingerere.
Indifferenter omnia de manu Dei accipere.

3.

## RELIGIOSVS ASSIDVE se exerceat.

In humilitate & charitate.
In patientia & mortificatione.
In lectione & oratione,

In communicatione cum Deo.
In meditatione vitæ Christi.

4.

# RELIGIOSO CVMPRImis fugienda.

Familiaritas mulierum,
Singularitas proprium⁓iudicium.
Voluntas Amorque proprius.
Otium ventrisque studium.
Superbia vanaque gloria.

5.

# QVÆ RELIGIOSO Domi agenda.

Cogitare Deum præsentem, & omnia perspicientem usque ad minimas cordis cõmotiunculas.
Resistere suggestionibus Inimici.
Legere & studere ad bene agendũ.
Orare ad se inflammandum.
Armare se ad tuto & utiliter exeundum.

6.

# OFFICIA SVPERIORIS

erga

*erga subditos.*
Omnes æqualiter amare.
Religiosæ disciplinæ attendere.
Bono exemplo omnibus præesse.
In spiritu lenitatis omnes instruere & corrigere.
Pro omnibus Deum orare.

7.

OFFICIA SVBDITI
*erga superiores.*
Illum amare ut patrem.
Audire ut Doctorem.
Honorare ut Dominum.
Obedire ut Christo.
Pro illo Deum orare.

8.

OFFICIA ERGA FRATRES
Omnes in Domino amare.
Omnes sibi superiores reputare.
Illos ex charitate admonere.
Patienter supportare.
Bono Exemplo ædificare.

9.

SVMMO MANE QVID
*agendum.*

Stato tempore ſurgere.
Se mox divino conſpectui & ſervitio ſiſtere.
Pro cuſtodia noctis gratias agere.
Bona propoſita concipere.
Ad eadem exequenda gratiam & auxilium petere.

10

## CIRCA ORATIONEM
*ſeu Meditationem obſervanda.*

Prius animum & materiam præparare
Alienas cogitationes expellere.
Conſtanter perſeverare,
Dictum S. Spiritus humili corde ſequi.
Pro admiſſis defectibus dolere & pro bono ſucceſſu gratias agere.

11.

## IN ORATIONE FREQVENTER
*tractanda.*

Cognitio ſeu dolor de peccatis.
Quatuor noviſſima.
Beneficia DEI.
Vita & paſſio Chriſti.

Con-

Converſatio cum DEO & Sanctis ejus.

12.

## OBSERUANDA CIRCA *confeſſionem.*

Conſcientiam benè examinare.
De peccatis vehementer dolere.
De peccatis integrè confiteri.
Emendationem ſeriò promittere.
Pœnitentiæ injunctæ mox ſatisfacere.

13.

## CIRCA SACRUM *Miſſæ officium.*

Conſcientiam per confeſſionem ejus purgare.
Corde humiliato & contrito accedere.
Illud cum Reverentia & devotione pro ſe & Eccleſia offerre.
Cum fame ſpirituali & charitate communicare.
Cum gratiarum actione recedere.

POST

14.

## POST SACRVM

In corde cum Christo se abscondere.
Se totum Christo offerre.
Suas aliorumq; necessitates Christo explicare.
Pro se alijsque multa à Christo petere.
Ad æternam beatitudinem aspirare.

15.

## IN RECITATIONE
*Officij observanda.*

Cor ab alijs cogitationibus purgare.
Devotionem præparare.
Ad sensum Deumque âttendere.
Verba integre proferre.
Ad finem non properare.

16.

## EXAMEN CONSCIentiæ.

Lumen à DEO petere.
Pro beneficijs gratias agere.

Con-

Conſcientiam diſcutere.
De peccatis dolere.
Emendationem proponere.

17.

## JN EXAMINE CONSCIentiæ attendendum.

Tranſgreſſionibus votorum & Regulæ.
Tepiditati in Dei ſeruitio.
Diſtractionibus Mentis.
Pravis animi motibus.
Detractionibus & murmurationibus.

18.

## JN REFECTORIO.

Tacere.
Studere mortificationi.
Sobriè comedere & bibere.
Lectioni attendere.
Animam ſpirituali cibo reficere.

19.

## EXTRA DOMVM.

Portas ſenſuum diligenter cuſtodire.

Religiosam gravitatem & modestiam servare.
Rebus vanis ac novis non attēdere.
De rebus spiritualibus loqui.
Breviter se expedire, citoque domum redire.

20.

## IN LECTO.

Deo, Sanctis Patronis, Angeloque custodi se commendare.
De morte & sepulchro cogitare.
Contra Inimici insidias se munire.
Quoties evigilas ad Deũ recurrere.
Vltra necessitatem in lecto non manere.

## LAVS DEO, &c.

*Poterit hoc formulare ab unoquoq; novitio, in quadã charta bella describi, & in cubiculo ante oculos collocari, ad majorẽ recordationem & observãtiam.*

*Pleraq; autem sunt desumpta, ex directorio Magistri Nouitiorum.*

# EXERCITIVM
## Quotidianum.

MANE è lecto ſurgens, tria facies.

Primò, DEO gratias ages pro illius noctis cuſtodia, cæteriſque beneficijs ejus.

Secundò, offeres teipſum & omnia quæ illo die facturus es Deo, ad gloriam nominis ejus,

Tertiò petes gratiam divinam ad totum illum diem ad illius obſequium impendendum, illiſque vitijs ad quæ propenſior es, fortiter reſiſtendum.

Cùm igitur jam expergiſceris, ſignabis te ſigno S. Crucis, dicendo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Deinde junctis manibus hanc orationem proferes.

IN nomine Domini noſtri IESU Chriſti crucifixi ſurgo, qui me redemit ſuo pretioſo ſanguine, ipſe

me regat, benedicat, & custodiat, hodie & quotidie ab omni peccato, & perducat me ad vitam æternam, Amen.

Et sanctissimæ Trinitati dabis gratias, eam invocando, & dices Benedicat me Pater qui cuncta creavit ex nihilo; benedicat me Deus Filius, qui me redemit suo pretioso sanguine; benedicat me Spiritus Sanctus cujus me salvet piæ consolationis infusio. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Benedictus es Domine in firmamento cœli, laudabilis & gloriosus in sæcula.

Te Deum Patrem Ingenitum, te Filium Vnigenitum, te Spiritum Sanctum Paracletum, sanctam & individuam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Postea dicere poteris Psalmum

quo

quo magis ad devotionem excitaris: ad quem quidem psalmum te indues. Indutus verò, dum scapulare accipies, illud exosculaberis, & DEO gratias reddes, qui te ad Religionem Dominicanam vocavit, fecitq; te in illa vsque ad eam horam perseverare.

Interim dices B. MARIÆ Virgini, quæ habitum nobis contulit, hos pios versiculos.

MOnstra te esse Martem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse, tuus.

Deinde capucium accipiendo, stidem illud osculaberis, & mẽtem elevans ad Patrem nostrum S. Dominicum, Responsi: dices.

O Spem miram, quam dedisti,
Mortis hora te flentibus,
Dum post mortem promisisti, Te
profuturum fratribus.
Imple Pater quod dixisti,
Nos tuis juvans precibus.

Postea

Poſtea flectes genua, & cum omni devotione & attentione dices *Pater*: *& Ave*, *& Credo*. Poſtea divinæ Majeſtati gratias ages, pro omnibus beneficijs : quod tibi dedit eſſe : quòd ad imaginem ſuam te fecit : quod ex Chriſtianis & Catholicis Parentibus & in fide Chriſtiana naſci ac erudiri voluit. Quòd ad ſacram Religionẽ te vocavit. Quod te conſervavit in vita, in fide Catholica & Religione uſque ad eam diem. Quòd præſervavit te ab infinitis peccatis, quæ cõmiſiſſes, & à multis quæ incurriſſes, ſine DEI ipſius auxilio. Quod te redemit ſuo pretioſo ſanguine, torque paſſus eſt pro tua ſalute.

Etiam reddes illi gratias, de corpore non vitioſo tibi dato : De omnibus bonis naturæ & gratiæ tibi impertitis : De occaſionibus, inſpirationibus & modis benefaciẽdi : & de patientia quam erga te habet,

habet, ob tua peccata & tuam ingratitudinem. Poteris autem dicere has vel alias pias orationes.

## *Ad Deum Patrem.*

GRatias ago tibi Domine, Pater omnipotens, æterne DEus, qui me hac nocte non meis meritis, sed sancta tua misericordia custodire dignatus es, & pro vniversis beneficijs tuis. Et concede mihi Domine diem istum in tuo sancto servitio & amore, etiam usque in finem vitæ meæ, ita peragere, ut tibi placeat obsequium servitutis meæ,

## *Ad Filium.*

DOmine IESV Christe, Fili DEI vivi, miserere mei, & custodi me, quæso, ab omni periculo animæ & corporis, & tolle à me omnes tenebras ignorantiæ, ut te videam, & per te cognoscam Patrem omnipotentem.

*Ad*

## Ad Spiritum Sanctum.

SPiritus Sancte DEUS, ignis illuminans & calefaciens, accende lumen tuum, ut fallacias mundi cognoscam. Infunde quoque in mentem meam charitatis tuæ dona, ut faciam quod deceat, & quod mihi proficiat ad meritum, & proximis meis ad exemplum, Amen.

## Ad B. Virginem Mariam.

SPes animæ meæ post DEUM, Virgo MARIA, commendo tibi hodie & quotidie corpus meum, animam meam, honorem, salutem meam, & horam meum; salutem meam, & horam exitus animæ meæ, omnesq; actus meos. Et precor ut serves me à peccatis, à periculis, à scandalis, & ab omni confusione humana, ab ira judicij tremendi, ab immundis cogitationibus, à subitanea & improvisa morte, & ab omni malo animæ & corporis. Et tandem perducas miseram animam meam

ad lo-

ad locum refrigerij, quietis & pacis. Amen.

*Ad Angelum custodem.*

OBsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus ad custodiendum commissus sum, ut indesinenter protegas, defendas, munias me ab omni incursu Diaboli, vigilantem, dormientem, & ubicunq; fuero. Et in quacunque tribulatione, vel angustia me esse perspexeris, auxilium Dei omnipotentis, tuo obtentu & precamine, mihi adesse sentiam. Et cum ex hoc corpore emigravero, & in agonia fuero, non permittas me à maligno spiritu terreri, & non dimittas me donec ad societatem beatorum pervenero, Amen.

*AD S. DOMINICVM*

*& Sanctos Ordinis,*

OMnipotens sempiterne Deus, qui renunciantibus sæculo,

 mansi-

mansiones paras incœlo, immensam clementiã tuam humiliter imploramus, ut intercedente B. Virgine Filij tui Genitrice & B. Dominico Patre nostro, & Sanctis tuis Petro, Antonino, Thoma, Vincentio, Hyacintho, Raymundo, Ludovico, Catharinã Agnete, & Rosa, Prædicatorum Ordinis Patronis: vota quæ profitendo fecimus, fideliter implere, & ad ea quæ perseverantibus in te dignatus es promittere, valeamus salubriter pervenire Per Christum.

Has vel alias pias Orationes & preces pro majori devotione poteris dicere, & Religiosus alterius Ordinis, pro suis Patronis & Sanctis accomodare, & subinde breves jaculatorias, quales hic subjunximus adhibere.



ORA-

## ORATIONES IACVLA-*latoriæ, ad implorandum divinum auxilium.*

DEVS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.

Respice in me Domine, & miserere mei.

Esto mihi Domine turris fortitudinis: à facie inimici.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Esto mihi in Deum Protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias.

Adjuva me, & salvus ero Domine.

Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te.

## PRO REMISSIONE *peccatorum.*

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: miserere mei, quoniam infirmus sum ego.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Dne.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos Deus salutaris noster, & libera nos & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Erravi sicut ovis quæ perijt, quære servum tuum Domine.

Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.

Tribularer si nescirem misericordi-

cordias tuas Domine, tu dixisti, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & viuat.

## *IN INFIRMITATE vel angustia.*

DEVS noster Refugium & virtus, adiutor in tribulationib⁹ quæ invenerunt nos nimis.

Sana me Domine & sanabor, salvum me fac & salvus ero.

Tantum dic verbum; & sanabitur anima mea.

Domine vim patior, responde pro me.

Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea.

Exurge Domine adiuva me, & libera me propter nomen tuum.

Custodi me ut pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me.

DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos.

Per S. ✠ libera nos Domine de inimicis noſtris.

## PRO SALUTARI morte.

ILlumina Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit.

Suſcipe me Domine, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.

Educ de carcere Domine animam meam, ut cōfiteatur nomini tuo.

Portio mea Domine ſit in terra viventium.

Moriatur, Domine, anima mea morte juſtorum.

Recordare IESU pie, quòd ſim cauſa tuæ viæ, ne me perdas illa die.

Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labo non ſit caſſus.

Pi e

Pie IESU Domine dona mihi requiem sempiternam

Domine IESU, suscipe spiritum meum.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

## VERSVS.
## MORIENTI SVGgerendi.

QVemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini,

In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me.

Erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis unicam meam.

Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo.

Tibi dixit cor meum, exquisivit

vit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei,

## AD B. VIRGINEM.

MOnſtra te eſſe Matrem, &c. Maria Mater gratiæ, &c.

A ſubitanea improviſa morte, & damnatione perpetua liberet nos pia Virgo MARIA.

In omni tribulatione & anguſtia noſtra, ſubveniat nobis pia Virgo MARIA.

O Mater DEI, memento mei.

## QVALIS ESSE DEBEAT *Religioſorum converſatio.*

REſtat ut per totum diem in omnibus tuis actionibus diſciplinatum, Religioſum, morigerum, circumſpectum, diſciplinatum teipſum exhibeas: maximè in templo, in choro, & coram hominibus devotum & exemplarem præbeas, & gra-

& gravem in moribus: ut nulla levitas mentis oculorum evagatio, risus oris, vel ulla dissolutio in istis locis appareat.

Sis autem per diem occupatus vel orando, vel meditando, vel legendo, vel studendo, vel quodcunque opus honestum & pium exercendo: ne vnquam te diabolus otiosum reperiat, & ad malum provocet.

*Vsus religiosi cubiculi.*

Cella quasi cælum tibi sit, ubi cælica cernas: hic ores, studeas, mediteris, crimina plangas.

Pax est in cella, foris autem plurima Bella.

*Pœna proprietariorũ, & negligentiũ Horas Canonicas.*

Horas autem Canonicas omnes & integras devotè & attentè persolvere studeas: ne unquam justo DEI judicio contingat te à gratia DEI, vel Ordine tuo apostatare. Hoc namq; à senioribus observatum est, & experientia cõprobatum, quòd sicut monachi vel Religiosi proprietarij sæpissimè su-

bitaneâ morte solent mori; sic facilè negligentes vel omittentes divinum Officium, seu Horas Canonicas, solent communiter protendere ad apostasiam.

D. HIERON:

Horas canonicas dicere ante horam, est pietas.
Debita hora est charitas.
Post horam satisfactio.

D. AVG.

Orare ante tempus providêtia est.
In tempore obedientia.
Post tempus negligentia.

D. GREG.

Horas dicere ante horam securitas.
In hora iustitia.
Post horam negligentia.

D. BERN.

Qui orat omne tempus, timet DEUM.
Qui orat in tempore, laudat DEUM.
Qui post tempus, reddit rationem.

In cibo & potu maximè temperantiam & parsimoniam servare studeas. Apposita grato animo recipias, & pro benefactoribus, & elargientibus suas eleëmosynas Deum orabis, Cibarijs appositis facile contentus sis, cogitans quàm innumerabiles sint pauperes, qui delitias maximas reputarent, si tantummodo haberent panem, quem Deus tibi cum alijs cibarijs ministravit. *Iustus enim* (inquit Sapiens) *comedit, & replet animam suam. venter autem impiorum insatiabilis.* Vnde impiorum est, conqueri & obmurmurare, cùm cibaria ad appetitum suum non habent. *Prov. c. 3.*

Tu verò subinde cibos cæteris delicatiores pœnitentiæ causa tibi subtrahes, vel cum sobrietate sumes.

Super omnia verò tanquam venenū & pestem fugias maledictū & damnabile vitium ebrietatis per quod viri Religiosi non tātum infames *Vitanda summopere crapula & ebrietas om-*

nisq; oc- fames & contemptibiles omnibus
casio con- redduntur, sed ipsa execranda cra-
fusionis & pula & ebrietas est, quæ integra
scandali. monasteria & Religiones solet e-
vertere & extirpare, nam ex ea so-
lent provenire infinita incommo-
da, confusiones & scandala, à qui-
bus omnibus maximè debet verus
Religiosus abhorrescere & abstine-
re. Vnde Christus tam severè nos
præmonitos voluit, his acrioribus
Luc: 12. verbis: *Attendite autem vobis, ne fortè gravētur corda vestra in crapula & ebrietate & superveniat in vos repentina dies illa;* scilicet vindictæ & exterminij.

Poteris tu igitur aliquibus diebus, maximè ferijs 6 in memoriam Dominicæ passionis aliquod opus pœnitentiale facere, vel jejunando, vel flagris corpus cædēdo, aut cilicium ad carnem gestando, aut quodlibet aliud asperum pro illius amore amplectendo:

Dicendo cum Apostolo Paulo,
1. Cor. 9. *castigo corpus meum, & in servitutem redigo,*

*redigo, ne fortè cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Similiter ne tu, qui cùm pia vita, & sana doctrina, aliorum debeas animas salvare: ille ipse irreligiosè vivendo negligas, & perdas tuam. Cum unusquisque teneatur majorem propriæ suæ salutis habere rationem, quàm aliorum; quòd ordo charitatis docet. Quare prius incipias facere, & postea docere, ad exemplum Christi, Apostoli Pauli, & aliorum Sanctorum, eorumque vestigijs semper insiste.

Deum semper habeas præ oculis. *Nam oculi Domini in omni loco, contemplantur bonos & malos.* Prov. 15.

Cùm igitur Deus sit inspector omnium tuorum actuum, & quem latere nihil potest; cogita semper eum tibi præsentem, & omnia tua conspicientem. Vt possis dicere cum propheta *Providebam Dominum in conspectu meo semper,* Psal. 15.

In cu-

*In cujus conspectu ambulaverunt Patres nostri*, pie, probè & sanctè vivendo: & honestè timoratè & laudabiliter conversando.

## TEMPORE NOCTVRNO.

VEsperi ad lectum iturus, intres tecum in judicium, & cõscientiam diligenter examines. De beneficijs tibi à Deo collatis iterũ gratias ages: & de commissis eo die peccatis humiliter à Deo veniam precaberis: firmiterque propones omnium eorum sinceram emendationem.

### BREVITER QVISQVE

*In mentem revocabit quod præsenti die peccaverit.*

1. Contra DEVM.

EI cultum debitum per negligentiam non exhibendo nomẽ eius in vanum assummendo &c.

2. Contra proximum.

EVm sive præsentem sive absentem

tem verbo vel opere lædendo, scādalizando, corde seu affectu eum non amando, neque ei complacēdo: curam, providentiam, admonitionem & correctionem ei ex officio debitam non ut par est impēdendo.

3. Contra seipsum.

VItiosas quasvis affectiones nō extirpando, passiones non cohibendo, Lingvam, internos, externosque sensus negligenter custodiendo, Modestiam Humilitatem, Temperātiam, Pudicitiam, similesque Virtutes parum promovendo. &c.

*Dolor.*

HÆc igitur & omnia alia peccata quæ unquam admisi in vita meā, odi & detestor ex omnibus, super omnia mala quæ usquam sunt aut esse possunt, eò quod offenderim te Deum meum, & summum bonum, in quo est tota mea Fœlicitas, & quem timeo & amo super omnia.

*Petitio Veniæ.*

ORo igitur te clementissime IESU, dele iniquitatem meam, & dimitte mihi universa delicta mea.

*Propositum.*

PRopono unà firmiter amplius non peccare, omnesque peccãdi occasiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam quæ mihi fuerit injuncta.

*Satisfactio.*

OFfero autem tibi in satisfactionem peccatorum omnium sacratissimâ tuam passionem. pretiosissima merita B. MARIÆ Virginis Rosarij Reginæ, & Sanctorũ omnium, atque omnia opera mea, & vitam meam universam.

*Spes.*

ET confido in bonitate & misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi sangvinis & mortis tuæ, me sis exauditurus, mihique

que omnia peccata mea remissurus, & gratiam vberem largiturus, quâ vitam sanctè instituere, tibique perfecte usque in finem servire valeam. Qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis & regnas DEUS, benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

*Poteris etiam dicere has orationes.*

## ORATIO PRO REMISSIONE peccatorum.

CONfiteor tibi Dñe DEUS omnipotens, creator cœli & terræ, omnia peccata mea quæcunq; feci ab infancia mea, usque in hanc horam scienter vel ignorâter; & præsertim quæ cõmisi hoc die factis, cogitationibus & omissionibus adversus tuam divinam voluntatem. Tibi Domine confiteor ex corde, & peto veniam, quia peccata mea innumerabilia sunt, & supplico humillimè, ut obliviscaris omnium peccatorum meorum, quorumcunque

que me nosti reum in omni ante-acta vita mea. Accende etiam in me ignem tuæ charitatis & timoris, & concede mihi ferventem emendationem totius vitæ meæ, cum vera spe, fide, & charitate. O clemens, O pie, O Iesu Fili Mariæ.

## ALIA ORATIO.

O IESU dulcissime, tu mecũ quæso maneas, hac nocte mecum dormias, & corpus somnum capiat, & nunquam cor obdormiat, sed semper ad te vigilet. Me Angelus custodiat, & signo crucis muniat. Hinc Satan procul fugiat, & IESUS solus maneat. Quos amo tecum colligas, in lecto cordis foveas, nec me nec ipsos deseras, sed benedicens protegas, & in ævum custodias, Amen. *Pater & Credo.*

*Vel dicere poteris ordinarias preces quæ hic sequuntur.*

*Prius Rosarium B. Virg. cum meditatione Mysteriorum.* MYS-

MYSTERIA GAVDIOSA.

*Quinque,*

*POST* (IESUS) *ACCOM*. *modando.*

1. Quem virgo concepisti,
2. Quem visitando Elisabeth. portasti,
3. Quem Virgo Genuisti,
4. Quem in Templo præsentasti.
5. Quem in Templo invenisti.

*Quinquè Dolorosa.*

1. Qui pro nobis sanguinem sudavit.
2. Qu pro nobis flagellatus est.
3. Qui pro nobis spinis coronatus est.
4. Qui pro nobis Crucem porvit,
5. Qui pro nobis Crucifixus est.

*Quinque Gloriosa.*

1. Qui resurrexit à mortuis.
2. Qui cœlos ascendit.
3. Qui Spiritum Sanctum misit.

4. Qui

4. Qui te assumpsit.
5. Qui te in cœlis coronavit.

Nota præterea, quod tria hæc Rosaria per septimanam ita distribui possunt. Vt Feria secunda, tertia, & quinta dicatur Rosariũ Gaudiosum.

Feria quarta & sexta Dolorosum oretur.

Sabbatho autem & die Dominico Gloriosum persolvatur.

*Postea Preces Vespertinas.*

Confiteor Deo, &c.
Misereatur, &c.

## HYMNVS.

CHriste, qui lux es & dies,
Noctis, tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur sancte Domine,
Defende nos in hac nocte,
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne gra-

Ne gravis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat,
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet,
Dextera tua protegat,
Famulos qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime,
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
Memento noſtri Domine,
In gravi iſto corpore,
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.
Præſta Pater omnipotens,
Per Ieſum Chriſtum Dominum,
Qui tecum in perpetuum,
Regnat cum S. Spiritu.

*Antiphona.*

MEdia vita in morte ſumus, quem quærimus adjutorem, niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris juſtè iraſceris, ſancte Deus,

ſancte

fortis, sancte & misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos. & *Vers.* Dignare Domine nocte ista. *Resp.* Sine peccato nos custodire.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus, &c.

*Oremus.*

VIsita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti, habitantes in ea, nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum, &c.

*Antiph.* Evigila super nos æterne Salvator, ne nos apprehendat callidus tentator, quia factus es nobis sempiternus adiutor.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, &c.

*Oremus.*

PArce Domine, parce populo tuo,

tuo, ut qui digna caſtigatione flagellatur, in tua miſericordia reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Antiphona.*

VEni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem linguarum cunctarum Gentes in unitatem fidei congregaſti.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem, &c.

*Oremus.*

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus, illuſtratione docuiſti da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Antiph.* Sub tuum præſidium confugimus ſancta, DEI genitrix noſtras deprecationes ne deſpicias in ne-

in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper virgo benedicta.

℟. In omni tribulatione & angustia nostra.

℟. Subveniat nobis pia virgo MARIA.

*Oremus.*

PRotege Domine famulos tuos subsidijs pacis, & beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hostibus redde securos. Per Christum Dñũ, &c.

*Antiph.* Laudemus Dominum, quem laudant Angeli: cui Cherubin & Seraphin, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

*Oremus.*

DEus qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq; dispensas, concede propitius, ut à

quibus

quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terris vita noſtra muniatur. Per Chriſtũ, Dominum, &c.

*Antiph.* Magne Pater S. Dominice, mortis hora nos tecum ſuſcipe, & hic ſemper nos piè reſpice.

℣. Ora pro nobis B. Pater Dominice.

℟. Vt digni efficiamur, &c.

*Oremus.*

CONcede quæſumus omnipotens DEUS, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, B. Dominici Confeſſoris tui, Patris noſtri, patrocinio ſublevemur. Per Chriſtum. &c.

*Antiph.* O quam felix gloria ſemper eſt Sanctorum, quàm præclara merita ſunt Prædicatorum: quorum verbo & opere mundus decoratur, eorumque munere mens conſolidatur.

℣. Sapientiam Sanctorum narrant populi.

℟. Et laudem eorum nunciat Ecclesia.

*Oremus.*

CONcede quæsumus omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum Ordinis N. exempla nos provocent: quatenus quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Per Christum, &c.

*Antiph.* Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Orate pro nobis omnes Sancti.

℟. Vt digni efficiamur, &c.

*Oremus.*

TRibue quæsumus Domine, omnes Sãctos jugiter orare pro nobis, atque eos clementer exaudire digneris. Per Christum, &c.

*Antiph,* Da pacem Domine in diebus nostris: quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus.

*Vers.* Fiat pax in virtute tua.

*Resp.*

*Resp.* Et abundantia. &c.

*Oremus.*

DEus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam quam mundus non poteſt date pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione trãquilla. Per Chriſtum, &c.

*Antiph* Fidelium animæ per miſericordiã Dei requieſcant in pace.

*Verſ:* Aporta inferi.

*Reſp.* Erue Domine, &c.

*Oremus.*

FIdelium Deus omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumq; tuarum remiſſionem cunctorũ tribue peccatorum; ut indulgentiam quam ſemper optaverunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Per. Am.

IN lecto ita te componas, quemadmodũ in ſepulchro poſt mor-

tem aliquando ponendus es cancellatis brachijs in formam crucis: & tecum paulisper figuram illam quã hoc situ repræsentas, cum omnibus circumstantijs diligenter expendas. Responsorium aliquod vel Psalmum aliquem, ex ijs quæ pro defunctis dici solent, super te tanquam mortuo leges. Ac denique Deum rogabis, ut in hora mortis tuæ te defendere, & contra omnes inimici tentationes & insidias tueri dignetur.

Cinctus autem dormies, & proferes hæc verba: *Cinge me Domine cingulo castitatis, & extingue in lumbis meis ignem concupiscentiæ & libidinis.* Quotiescunque nocte expergisceris, dicas: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto:* vel O IESV *nostra Redemptio.* Vel aliquid simile.

QVia crebrò solent Religiosi per sacram confessionem conscientiam expurgare, placuit ad majorem instructionem quędam modum & brevem methodũ hic tradere, quò faciliùs & commodiùs id præstare possint.

## MODVS CONFITENDI

*quotidianos defectus, pijs omnibus, & sapè hoc Sacramentum frequentantibus utilis.*

SIgno crucis facto, dices: Benedicite. Complicatisq; manibus dices Confiteor DEO, B. MARIæ B. Dominico, omnibus Sanctis, & tibi Pater quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere & omissione, mea culpa. Ideo precor tuam Paternitatem humiliter, audias me.

Confiteor inprimis, me non eo dolore, contritione, & proposito emendandæ vitæ; ad cõfessionem accedere, ut tantum Sacramẽtum

& peccatorum meorum gravitas & multitudo requirit. Bonum propositum emendandæ vitæ, & in virtutibus proficiendi, non observavi, sed in antiqua vitia & pravos mores reincidi, nec injunctam pœnitentiam debita cum devotione & contritione absolvi.

Confiteor me Dominum DEUM, nec ex toto corde & animo dilexisse, laudasse, & gratias egisse, nec debito fervore inservisse. In oratione sæpe plus caducis & corporalibus, quam divinis & spiritualibus deditus fui. Divinum officium & horas meas canonicas debita cum devotione & attentione non peregi, sed magna distractione mentis & cordis: adeo quod integras horas, subinde absq; actuali ulla attentione persolverim, vixque virtualem servaverim.

In omnibus meis operibus & actionibus ante omnia, & super omnia divinum honorem & maiorem

iorem Dei gloriam ſtudioſe, purè & recta intentione non inquiſivi, ſed magis meipſum, proprium commodum, ſæculi laudem, meam utilitatem. Si quid etiam aliquando boni fecerim, id magis timore, & veteri conſuetudine, quam ex ſincero Dei amore perfeci. Spem omnem atque fiduciam in Dei omnipotentis manu non collocavi, ſed nimis me terrenis occupavi.

Non ita proximum, quàm meipſum amavi, nec ita cum alijs egi ut mihi optaſſem fieri. Infirmitates & defectus aliorum patienter non tuli, ob minimam cauſam ijs indignatus fui, pronus ad iram & vindictam. Superioribus illum amorem, honorem, fidem & obedientiam non exhibui, ut congruum erat. Aliorum vitia facillimè animadverti & obſervavi, cum mea minimè curarem vel cernerem. Facillimè etiam ex temeritate aliorum dicta vel facta ju-

dicavi, aliosque contempsi & sprevi. Linguam meam & aures meas, ab omni detractione, oblocutione, murmuratione, non satis castè, & cautè custodivi, sed multa inordinata, inepta, obscœna, & otiosa verba in ore habui. Silentium in locis & temporibus interdictis sæpius fregi: mendacia jocosa & officiosa dixi.

Tempus meum inutiliter deduxi & consumpsi. Debitam Parsimoniam in cibo & potu non servavi. Nimium effusus in levitatibus & dissolutionibus, & in multis nimis curiosus & sensualis extiti. Cor denique & affectum in creaturis nimium collocavi. Sancti Spiritus suggestiones. & bonas quaslibet inspirationes atque instructiones non ut oportuit observavi, nec benè impendi: sed magis meas pravas cōcupiscentias & inclinationes secutus sum. Omnes peccandi occasiones non fugi,

fugi, nec evitavi, vanam gloriam & propriam complacentiam ſæpè habui; nec Deo pro ſuis beneficijs gratus extiti.

Immundas & obſcænas cogitationes varias in mente habui, ijſque facilè me oblectavi, nec debitam diſplicentiã & deteſtationem in ijs habui, ſed majorem complacentiam & delectationem: (ſi quoque non ſubinde ijs coſenſum, præbuerim.)

Ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum tanto cum honore, humilitate, & conſcientiæ puritate, quanta in tanto tamq; auguſto Sacramento exigitur non acceſſi.

Tandem conſcientiam ſuam, quiſq; examinet. An decem præcepta Decalogi, præcepta Eccleſiæ vota ſua, ſtatuta & ordinationes ſuas benè obſervaverit. An nullum grave peccatum ſeu mortale commiſerit. Et tandem ita concludet ſuam confeſſionem.

De his & omnibus alijs, ſive iam dictis, ſive per negligentiam & oblivionem omiſſis, & de quibuſcunque alijs, quibus me Deus reum novit, dico meam culpam, & peto à Deo remiſſionem, & à te Pater humiliter veniam & abſolutionem in quibus, ex iam dictis, arbitratur, ſe eſſe à veniali immunem, omittat.

## *ANTE CONFESSIOonem poteris dicere hanc Orationem.*

PEr Sanctorum omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum merita: Orationes, paſſiones, & ſuffragia, infunde cordi meo, Clementiſſime Deus, per gratiam, Spiritus Sancti, compunctionem & fontem lachrimarum, ut poſſim reatum conſcientiæ meæ perfectè cognoſcere & delicta

licta facinorum meorum plenariè confiteri, & devotè commissa accusare, & de cōmissis omnibus dignā pœnitentiam agere, & de his tua præstante misericordia, perfectam habere veniam, Amen.

## HANC VERO POST confessionem.

SIt tibi Domine obsecro, meritis sanctissimæ matris tuæ semper Virginis MARIÆ grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc & alias, de sufficientia contritionis de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, quæ dignetur me habere plenius, & perfectius absolutum in cœlo, A.

## ORATIO ANTE SANCTISSIMAM Communionem Sacramentalem.

DVlcissime IESU Christe Domine benignitatis, & misericordiæ infinitæ, qui cum Patre & Spiri-

Spiritu ſancto exiſtens unus DEUS glorioſiſſimus & immortalis, pro me dignatus es Homo fieri, teque in pretium cum ignominia & dedecore tradidiſti, ut me vilem & miſerabilem redimeres, & his non cõtentus in hoc ſacro altaris cõvivio teipſum in animæ meæ cibũ præbuiſti. Domine qui me hic jugiter expectas, ut mihi tecum ipſo bona cœleſtia & inæſtimabiles divitias in hac vita largiaris. Domine qui in alia vita te mihi in æternum præmium ineffabili charitate præparaſti: pro his tam immenſis muneribus, quæ omnem intelligentiam hominum ſuperant, & Angelorum, & pro alijs innumeris beneficijs quæ mihi tribuiſti, ſint infinitæ laudes, infinitæ benedictiones, infinitæ glorificationes, infinitæ gratiarum actiones, Tibi, qui dignus es infinito amore, infinito honore & gloria in cœlo & in terra, in mari & in omnib⁹ Abyſſis, nunc & ſemper,

per, & in ſæcula ſæculorum. Am.

Et ego peccator te Dominum confiteor, te laudo, te honoro, te magnifico, te ſuperexalto, & toto corde te invoco, & in ſinum miſericordiæ tuæ me proijcio, atque reſigno: In te Domine credo, in te Domine ſpero, te Domine diligo, te Domine quæro, te Domine deſiderat cor meum, ad te Domine ſuſpiro in hoc exilio, in te confidit anima mea, & uniri tecum perfectiſſima charitate cõcupiſcit, ut melius tibi ſerviat, te ſemper laudet, tibi gratias agat & te nunquam offendat, Domine me tibi totum offero & in manus tuas me commendo, Amen.

*Dicuntur etiam tribus vicibus cum Sacerdote illa verba.*

DOmine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tãtum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

ORA-

# ORATIO.

## Post Sanctissimam Communionem.

DVlcis IESU DEUS meus propter immensam charitatem tuam qua dignatus es venire in animam meam, obsecro te ex toto corde meo, ut nunquam permittas me labi in peccatum mortale, si vero ego miser tale scelus aliquando committerem, rogo te nunc pro illo tempore, ut illicò digneris mihi tribuere gratiam tuam, quâ corde contrito & humiliato ad te conversus redeam ad laudem & gloriam divinæ Maiestatis tuæ, Obsecro te dulcis IESU ut vis ardentissimi & suavissimi Amoris tui cor meum inflammet, penetret, purget, & omnes sensus meos ad te rapiat, ut velut ignis ardens aut ferrum corde totus amore tuo ardeam, mei ipsius penitus obliviscar, te solum cogitem, te solum desiderem, te solum sapiam ac sen-

ac ſentiam, tibi ſoli vinculo charitatis adhæream. Amen.

## MODUS COMMUNICANDI ſiue ſumendi ſacram Eucbariſtiam Spiritualiter.

COmmunio ſpiritualis fieri poteſt in omni loco quandocunque & quoties fideli cuique placuerit, etiamſi centies & ſæpius quotidie voluerit, quod exercitium plurimũ confert ad animæ ſalutẽ.

Cum igitur ſanctiſſimã Eucharistiam ſpiritualiter ſumere volueris, primum ſtatue ante oculos mentis tuæ conſcientiam tuam & advertens te reũm alicujus peccati, præcipue mortalis illicò remiſſionem à DEO impetrare ſtude per actum contritionis.

Poſt contritionem peccatorum meditare pauliſper Amorẽ Chriſti erga te in ſanctiſſima Hoſtia nam quodãmodo ac ſi Cæli, terræ creaturarumque omnium oblitus, tibi ſoli

soli vacaret, tibi sese exhibet, imò te expectat die noctuq; cum Beatissimorum Spirituum frequentia, in sacra pixidè ad altare in tēplo.

Attende quoties sacratissimam Eucharistiam de manu Sacerdotis accipis, eundem Dominum dignari in animam tuam solo amore utilitatis salutisque tuæ venire, longèque majori cum benevolentia venire quam tu illius Adventum desideres.

Considera quod licet aliquando rationabilibus de causis sanctissimam Hostiam non sumas per ministerium Sacerdotis, nihilomin⁹ Christus pulsat ad ostium cordis tui, in quod existente te à peccatis mundo, ac devota mente eius adventum præstolante, vocem vel affectum tui se vocantis exaudiens, ipse ingreditur cum omnibus donis, Virtutibus, meritis & divitijs suis, ut te ipsum expurget, ornet, regat, salvet & ditet.

Horum

Horum mysteriorum vel similium adhibita meditatione, quod breuissimo temporis spatio fit ab ijs, qui hac in re fuerint paululum exercitati, ubicunque fueris & tam valens corpore quam ægrotus reputabis teipsum ingratissimum, vilissimum, & divinis omnibus indignissimum beneficijs, præcipue verò, quod nunc es accepturus, nihilominus tamen oculis veræ fidei realem præsentiam Christi Domini in sanctissima Eucharistia contemplans, reddensq; Vices pro modulo tuo, Amori quo ipse Dominus semper paratus est, ad te venire, tuique desiderio ardet: Exoptabis tu etiam illum recipere, eundemque cum pietatis affectu vocabis ad te, proferens aliquoties ore, vel corde ingeminans, IESU mi, IESU mi, vel eodem incensus desiderio silens ad eum devote suspirabis. Vel ad idem intentus aliquo actu interiori vel exteriori vocabis ad

te Chri-

te Christum tuum, & ipse faciet, ut Anima tua in se divinæ eius præsentiæ & unionis effect⁹ experiatur.

Et hæc est Communio Spiritualis, in qua si te exercueris, non sufficit per magnum volumen ad describendum tibi fructus admirandos, & quæ cõsecutus es bona.

Hæc præparatio & modus cõmunis adhiberi etiam potest in communione Sacramentali, excepto eo, quod non sufficit sola contritio de peccatis mortalibus, sed necesse est accedere ad Sacramenmentum pœnitentiæ, antequam homo ad sanctissimũm Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum accedat.

## MODVS EXERCENDI *actum Humilitatis & resignationis in Deum perutilis in vita & tempore mortis.*

DOmine Deus ego sum miser, ille quem tu pro paterna bonitate

nitate & potentia tua creaſti, per te ipsū, & ad te ipſum. Domine IESU Chriſte ego ſum ille miſer, quem tu per ignominioſiſſimā & innocētiſſimā mortē tuam redemiſti ab omni poteſtate Inimici. Tu ergo ſolus Imperiū habes & poteſtatem ſuper me. Domine DEUS ego ſum homo miſer, quem tu ſervare potes ſecundum abyſſum miſericordiæ tuæ in qua ſpero & confido.

## NB.

Ioannes Thaulerus Ord: Præd: in ſermone ſeu exhortatione ad felicem mortem, ait experientia compertum eſſe & ſanctorum Authoritate comprobari hujuſmodi verba morientibus recitata mirum in modum prodeſſe.

Idem affirmat Abbas Bloſius in monili ſpir: c. 12. DEUM quibuſdam amicis ſuis revelaſſe. Qua in re animadvertendum eſt tibi frater mi dilectiſſime, talem virtutem

admi-

admirabilem, non cõsistere in verbis solis, sed in vere contriti & ante Deum humilitati cordis affectu. Ideo disce orare sæpius & recitare, vel meditari devote in vita tua præfata verba, facies enim qualibet vice actum magnæ virtutis & meriti, & promptus evades, ad præstandum auxilium hac pia oratione multis morientibus & tibimet ipsi in mortis agone.

## MODVS EXERCENDI *actum contritionis ad impetrandam peccatorum remissionem.*

NOtandum, ad actum veræ cõtritionis quæ provenit ex charitate, requiritur ut homo pœnitens & dolens propter Deum de offensa ipsius DEI, speret in eo & veniam petat cum proposito confitendi & satisfaciendi.

Quotiescunque igitur conscientia tua te reprehendet alicujus pec-

cati eliciens actum hunc, teque ad Deum convertens ore vel corde hæc vel huiuſmodi verba dices

*Peccavi Domine miſerere mei.*

Poſt hoc noli perturbari metus & animi agitatione diſceptans tecum, an tibi DEUS pepercerit necne, hoc enim nihil aliud eſt, quam ſuperbia, vexatio mentis, & laqueus diaboli. Ideo te libere committens in manus divinæ pietatis, proſequere bene operari, æquè ac ſi in nulla re peccaviſſes. Hunc actum contritionis comprehendimus in ſequenti oratione, ut ea ſæpius repetita, unicuique maior præbeatur occaſio à Deo impetrandi multa, quæ per illum actum habentur bona, in quibus præcipua eſt remiſſio peccatorum (quantacunq; magnitudo ſit eorum & multitudo) & huiuſmodi remiſſio ſtatim impetratur quamvis pœnitens actu minimè tunc cõfiteatur, ſufficit enim

eum

eum habere propositum confitendi, & contritionem perfectam iam dictam. Siquidem imperfecta sola non sufficeret. Quanti sit momenti scire hunc actum perfectè, ex hoc intelligi potest. Quispiam reus peccati mortalis repentino mortis discrimine corripitur, & Sacerdotem qui ipsi ministret sacramentum pœnitentiæ non habet, tum per actum perfectæ contritionis salvatur, qui alioquin moriens perpetuò damnaretur Cum igitur aliquis in perpetuo mortis articulo versabitur, tempusq; eum deficiet cõmodiùs animæ suæ consulendi, ad contritionem peccatorum tunc necesse non est eum scrutari conscientiam, sed sufficit ut doleat generaliter de peccatis anteactæ vitæ, verumtamen si in illa temporis angustia aliquod peccatum singulare venerit in mentem, dolendum erit ei etiam præcipue de illo, & hunc dolorem sive contri-

contritionem tam generalē quam particularem habendam sibi fore meminerit propter offensam Dei charitate summa dilecti, maximo amore dignissimi. Habebit pariter propositum accedendi ad sacramentum pœnitentiæ, si tempus dabitur, & firma fide ac spe in misericordia Dei veniam petet omnium peccatorum ore vel corde dicens.

*Iesu miserere, Iesu miserere, Iesu miserere.*

Vel quæcunq; alia verba, quæ tunc statim occurrent animo, aut sequentem orationem si memoriter sciat.

Hoc loco te hortor quicunq; es, ad cujus manus Dei beneficio hoc scriptum pervenerit, ut dum hanc tibi vitam suppeditat Deus, exerceas te sæpius modo supradicto, in petendo misericordiam, & tuorum veniam peccatorum ab ipso Deo, id enim singulis vicibus utilitatem

litatem tibi magnam afferet, fiesque promptior indies, ut possis tibimet ipsi & alijs consulere, si aliquando necessitas urgens postulaverit.

## ORATIO VEL ACTVS Contritionis.

EA humilitate quâ possum majore, miser ego pœnitens & dolens de peccatis, quibus adhuc offendi te Deum meum, creatorem meum, benefactorem meum, qui usque modo fuisti ergame tam misericors atque benignus, veniam à te peto. Confirmo propositum meum accedendi pie atque frequẽter, adiuvante te ad Sacramentum pœnitentiæ, abstinendiq; posterum cautius à peccatis & ab occasionibus peccatorum. Domine amo te, & nihil aliud amo sicut te, nec etiam meipsum: Domine Amo te ex toto Corde meo, & sperans in tua summa bonitate, deprecor te ut ignoscas mihi ad honorem

norem & gloriam tuam, sicut etiam omnibus qui aliquando me læserunt Ego propter Amorem tuum libenter ignosco, Amen.

*Exercitium utile.*

## AD PVRIFICANDAM *animam quotannis, sumptum ex pharetra divini Amoris, Ioannis Landispergij Carthusiani.*

SVnt (inquit ille) qui velut præsentem mortem quotanis sibi exercitio quodam præfigunt, seque non aliter ac si jam forent morituri ad mortem parant, id que ad quinque dies ontinuos.

Prima die meditantur pænas atque infirmitates mortem præcedentes atque horrorem mortis ad quæ omnia se resignant.

Secunda die de peccatis suis cogitant, illa tanta diligentia atque sedulitate confitendo, ac si post confessionē statim forent moritu-

ri, itaque illam diem gemitibus & fletibus transigunt.

Tertia die ad sacram Euchari-stiam quasi viaticum pro exitu hu-ius exilij sumentes, quanto pos-sunt fervore accedunt.

Quarta die pro unctione san-cti Spiritus, qua illuminentur, at-que emolliatur cordis eorum du-rities DEUM rogant assidue: & hoc faciunt quasi pro extrema un-ctione.

Quinta die DEO, ferventissime supplicant pro morte spirituali, qua Mundo & sibi ipsis perfecte moriantur, vivant autem DEO.

Singulis autem his diebus pos-sunt applicari Psalmi & orationes congruæ nec non invocationes sanctorum, & tandem gratiarum a-ctio pro omnibus beneficijs à DEO per totam vitam collatis.

Verumtamen quod attinet ad psalmos, orationes &c. quando-quidem nil certi assignatum est si tu le-

tu lector per temetipsum nescis, quid hac in re tibi sit agendum, consule confessarium, vel

Primo die pro defunctis poteris orare ac pro ijs præcipue quibus te plus debere cognoscis, & pro ijs quorum morti interfuisti, recitando pro ipsis officium defunctorum, vel eosdem B. MARIÆ Virgini commendabis ad ejus honorem recitando pro eis Rosarium, aut alia ex instituto Rosarij fraternitatis perficiendo.

Secunda die recitabis Psalmos pœnitentiales aut orationes devotas ad IESUM, Officium de S. Cruce, de quinque vulneribus, ad honorem sanctissimæ vitæ passionis & mortis ejusdem.

Tertia die recitabis omnes psalmos graduales vel Rosarium B. V.

Quarta die recitabis Officium Spiritus Sãcti, & Officiũ B. Mariæ V. aut Offic: de æterna Sapientia.

Quinta die recitabis Hymnum

Te Deum Laudamus, Psalmum 90. Qui habitat, & Tria cantica, nempe Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis. Vel Rosarium cætera cũ confessario disponens.

*Oratio.*

*D. THOMÆ AQVINATIS Ordinis Prædicatorum, ad B. V. Mariam ab omni Religioso dicenda.*

O Beatissima & Dulcissima Virgo MARIA, Mater Dei, omni pietate plenissima, summi Regis Filia, Domina Angelorum, Mater omnium Creatoris, in sinum pietatis tuæ cõmendo hodie & omnibus diebus vitæ meæ corpus meum, & animam omnesque actus meos, cogitationes, voluntates desideria, locutiones, operationes, omnemque vitam finemq; meum, ut per tua suffragia disponar in bonum, secundum voluntatem dilecti Filij tui, Domini nostri IESU Christi

Christi: Vt sis mihi O Domina mea Sanctissima, adiutrix & consolatrix contra insidias & laqueos hostis antiqui & omnium inimicorum meorum à dilecto Filio tuo Domino nostro IESU Christo, mihi impetrare digneris gratiã, cum qua potenter resistere valeam tentationibus mundi, carnis, & dæmonis, ac semper habere firmum propositum ulterius non peccandi, sed in tuo, & dilecti Filij tui servitio perseverandi. Deprecor te etiam Domina mea Sanctissima, ut impetres mihi veram obedientiam & veram cordis Humilitatem, ut veraciter me agnoscam miserum ac fragilem peccatorem & impotentem non solum ad quodcunque opus bonum, faciendum sed etiam ad resistẽdum continuis impugnationibus sine gratia & adiutorio creatoris mei & sanctis precibus tuis. Impetra mihi etiam O Domina mea Dulcissima perpetuam

mentis & corporis castitatem, quatenus puro corde & casto corpore dilecto filio tuo, & tibi in tuo ordine valeam deservire, obtine mihi ab eo voluntariam paupertatem cum patientia, & mentis tranquillitatem, ut labores eiusdem ordinis valeam sustinere, & pro salute propria & proximorum in eo valeam laborare. Impetra mihi etiam O Domina dulcissima charitatem veram qua dulcissimum & dilectissimum Filium tuum Dominum nostrum IESUM Christum toto corde diligam, & te post IESUM super omnia, & proximum in DEO & propter DEUM, sicque de bono ejus gaudeam, de malo doleam nullumque contemnam, neque temerariè judicem, neque in corde meo, me alicui præponam. Fac etiam O Regina Mater, ut dilectissimi filij tui timorē pariter & amorem semper in corde meo habeam, & de tantis beneficijs, mihi, non

meis

meis meritis sed tua benignitate collatis, semper gratias agam, ac de peccatis meis puram & sinceram confessionem & veram pœnitentiam faciam, ut suam consequi merear misericordiam & gratiam. Oro etiam ut in fine vitæ meæ tu Mater unica, cœli porta, & peccatorum advocata me indignum servitorem tuum, à sancta fide Catholica deviare non permittas, sed tua magna pietate & misericordia mihi succurras & à malis spiritibus me defendas ac de benedicti filij tui gloriosa passione etiam tua propria intercessione spe accepta, veniam de peccatis meis, ab eo mihi impetra, atq; me in tua & eius dilectione morientē, in viam salvationis & salutis dirigas Am.

---

## PROTESTATIONES

*Quotidie faciendæ.*

IN nomine Sanctissimæ TRINITATIS, Pa†tris, & Fi†lij, &

Spiritus † Sancti, protestor coram te gloriosissima Dei genitrice MARIA, te sancto Angelo DEI, custode meo, te Sancto N. N. Patronis meis, & vobis sanctis omnibus, quod mori desidero & volo in ea vera fide Catholica, quam sancta Romana Ecclesia profitetur.

Protestor nunc pro hora mortis meæ, quod credo omnes articulos fidei & totam sacram scripturam, secundum expositionem Doctorum Catholicorum.

Etiam nunc pro tunc detestor & reprobo omnes hæreses & superstitiones à sancta Matre Romana Ecclesia damnatas & reprobatas, & gaudeo mori in hac fide.

Credo non propriis meritis, sed virtute passionis IESU Christi ad gloriam posse pervenire, quodque alio modo nullus possit salvari, nisi merito dictæ Passionis.

Cognosco me multum offendisse creatorem meum, à quo tot bene-

345
verte folium

coram tua sanctissima Majestate, & tua gloriosissima Matre MARIA, sancto Angelo meo custode & Patre meo Divo Dominico, & omnibus Sanctis, quod in hac sancta fide Catholica, & in plenitudine fervoris ejusdem fidei, in sinu sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, Matris meæ, quæ nescit claudere gremiũ, redeunti ad se, sine consensu alicujus peccati, volo semper vivere & mori. Amen.



REMEDIA CONTRA subitaneam & improvisam mortem quotidie adhibenda


*JESVS Nazarenus Rex Iudæorum Titulus Triumphalis defendat nos ab omnibus malis, † Sancte DEVS, † Sancte Fortis, † Sancte immortalis miserere nobis Signatum est super nos Lumē* Psal. 4.

*vul-*

*vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.*

Psal: 90. *A sagitta volante in die, à negotio per ambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano libera me domine.*

Psal: 115. *Dirupisti Domine vincula mea tibi sacrificabo Hostiam laudis & Nomen Domini invocabo.*



VT omnibus clarè constet, quod vita monastica, & trium votorum observantia sit apertè fundata in sacra Scriptura immò ipsius Christi Salvatoris luculenta doctrina & non (ut hæretici obganniunt) esse inventiones, superstitiones & doctrinas humanas. Deniq; ut quilibet Religiosus, tanto magis suam obligationem agnoscat, quanto apertius per eloquium sacræ Scripturæ, & doctrinam Christi, se se obstrictum agnoscit, ad religiosam vitam instituendam, & vota sua servanda quæ distinxerunt labia

*ejus, juxta illud:* Vovete & reddite Domino Deo vestro. Ps. 75.

*Placuit quædam loca, & testimonia sacræ Scripturæ, & dictorum Christi. hic breviter subiungere, & ad oculum demonstrare; ut promptius quisq; vocationi suæ, & professioni satisfaciat, & ad perfectionē tendat ad quam Christus nos hortatur, dicens.* Estote ergo pefecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. *Maximè cum nobis ipsa vita & doctrina Christi Salvatoris, tanquam clarissimum speculum esse debeat, in quo defectus nostros apertè cōspiciamus agnoscamus; & veris Christianis virtutibus exornemur.* Mat. 9.



## DOCTRINA CHRISTI de Vita Religiosa.

CHRISTUS Salvator noster tria Religiosorum Vota non solùm verbis suasit & docuit, sed suo exemplo comprobauit & declaravit.

Nam

*De castitate.* Nam castitatem coluit, qui de Virgine natus, & carnis delicias ac voluptates abhorrens, virginitatem servavit, laudavit & extulit, dicens: *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat.* Qui sunt illi Eunuchi? nisi Religiosi, quia sua sponte & libera voluntate respuentes nuptias & uxores, castam vitam eligunt amore Dei sui? *Nam* (inquit Apost Paulus) *qui sine vxore est sollicitus est quæ Domini sunt: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Habes ergo rationem, cur castè viuentes aptiores sint ad servitium & obsequium Dei.

*Matt. 19.*

*1. Cor 7.*

*De paupertate.* An non similiter Paupertatem coluit & docuit, qui cùm dives esset, pro nobis egenus factus est, ut non haberet ubi caput suum reclinaret? sed audi, quomodo suis sequacibus etiam hanc voluntariam paupertatē suaserit. *Si vis* (inquit) *perfe-*

*2. Cor 8.*

353 verte folia

beneficia recepi, pro quibus immẽsas ei gratias, ago & ab omni creatura cupio sibi famulatum præstari.

Doleo ex corde nunc pro tunc de omni offensa contra Dominum ipsum & proximum meum qualitercunq; commissa.

Doleo de omni negligentia & omissione bene operandi, & contemptu gratiarum à DEO meo mihi datarum.

Desidero recordari omnium peccatorum meorum, ut de ipsis habere possim specialem contritionem.

Doleo nunc pro illa hora, quæ non recordor de omnibus peccatis, quæ commisi qualitercunque, & quæ, si recordarer, cofiterer Sacerdoti.

Doleo quod postquam de peccatis à Domino veniam sum consecutus, recidivans ad eadem vel similia vel majora sum reversus.

Parco omnibus ob Amorem

Dei, qui verbo vel facto mihi nocuerunt.

Paratus ſum omnibus ſatisfacere quibus teneor, de omni re, de fama vel honore.

Proteſtor quod nec ad momentum temporis vivere affecto, niſi quantum divinæ placuerit pietati.

Proteſtor quod mori intendo abſque omni deſperatione, vana gloria de bonis operibus, & fidei dubitatione: quodque verè ſcio unam guttam Deifici ſanguinis Domini mei in ara crucis effuſam ſuffeciſſe in redemptionem totius humani generis.

Proteſtor quod in caſu ubi ex puſillanimitate ſpiritus propter tremendum divinum judicium cui de neceſſitate aſtare debeo, vel debilitate Rationis in aliquã inciderem deſperationem, aut fidei dubitationem (quod Deus avertat) totum nunc pro tunc, ſana mente exiſtens, revoco, caſſo, & pro non

tali

tali facto habere volo, eo quod nõ discursu libero, hoc ipsum eveniet.

His protestationibus præmissis, sanctissima DEI genitrix, sancte Angele DEI, custos meus, sancti N. N. Patroni mei, & vos omnes electi, vobis extremam meam voluntatem & affectionem pro testamento Animæ meæ commẽndo, ut super eas in extrema hora vitæ meæ, fideles testes & protectores sitis. Precorque vos ut unum lachrymosum intuitum & dolorosũ suspirium ex innumeris doloribus, quos in cruce pendens tribus horis vivus, salvator meus habuit, mihi obtineatis, ad mitigandum dolorosos meos singultus, quibus tunc affligar. Teque mæstorum Advocatam humillime deprecor, ut mecum condividere velis in illa mea angustia unum cordis tui Virginei suspirium, & mœstum intuitum, ex innumeris quos sub cruce stando suspirijs & lachrymis habuisti,

filium

filium tuum & redemptorem meum morientem intuendo: meque tandem introducere digneris ad amœna paradysi loca, ubi lætaris in perpetuum. Amen.

## PROTESTATIO SANCTI VINCENTII Ord. Præd:

O Domine IESV Christe ego quâvis indignus & miser peccator, firmiter & puro corde & ore ad plenum cõfiteor sanctam fidem Catholicam, & omnes eius articulos, & sicut alma Mater Ecclesia Romana prædicat, docet & tenet, sed cum multa Domine occurrant pericula, & varia tentamẽta, si forsitan (quod absit) occasione ipsorum, aut in articulo mortis, aut alias per alienationem intellectus, ab ipsa sancta fide deviarem, aut alicui peccato consentirem, protestor nunc pro tunc & econtra co-

*perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Matt. 19.

Tertio denique, an non idem Christus Dominus obedientiæ & humilitatis perfectum simulacrum sese nobis exhibuit? *Qui humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Et non solùm Deo Patri, sed Ioseph & Mariæ, testante Evangelista: *Et erat subditus illis.* De obedientia. Phil: 2. Luc: 2.

Et ad sui imitationem nos provocans, ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Matt. 11.

Et ut Superioribus promptam hanc obedientiam cum omni humilitate exhibeamus, eorum stabiliendo auctoritatem dicit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Vnde propriam voluntatem docet esse abnegandam: *Qui vult* (inquit) *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc: 10. Luc 9.

Vide-

Videtis ergo ubi ſit fundata trium Votorum eſſentialium obſervantia, & quis ſit Auctor vitæ monaſticæ?

*Religio Angusta porta & arcta via*

Sed dicit aliquis: Valdè difficilis & moleſta, hæc doctrina & obſervantia Religionis. Fateor equidem: ſed hæc via ſalutis, quæ tendit ad aſtra, quam Chriſtus ipſemet ingreſſus eſt, & pleriq; omnes

*Pſ: 117.* Sancti & Beati *Hæc enim porta Domini, juſti intrabunt per eam.* Hancque anguſtam portam & arctam viam Chriſtus demonſtravit & docuit, quando dixit. *Intrate per an-*

*Matt: 7.* *guſtam portam: quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Anguſta verò porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.*

Nolite ergo mirari, O Religioſi, nolite turbari, vel indignari, ſi obedientia ſubinde vobis gravis, ſi paupertas, ſi jeiunium, abſtinētia,

carnis

carnis maceratio, Spiritus mortificatio, durus lectus, nocturnæ vigiliæ, disciplinæ, silentium, reprehensio, & punitio, & qualiscũque Ordinis vestri austeritas, molesta, dura & aspera & difficilis esse videatur: quia hæc illa angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, quam Christus vobis proposuit, quam pro securitate sponteneè elegistis, & status professionis vestræ à vobis exigit, & hic certa vobis salus.

Non enim otiosis, tepidis, & negligentibus, (multo minus mũdanis, carnalibus, & voluptuosis) promittitur regnum DEI; sed laborantibus, vincentibus & sustinentibus. Nam Christo attestante, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Id est, Regnũ cœlorum, per varias molestias, difficultates, labores, & sudores, per humilitatem, patientiam, pœnitẽtiam, carnis afflictionem & mortifica- *Matt. 11.*

tificatione obtinetur & acquiritur.
*Act: 14.* *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et *nul-*
*2. Tim: 2.* *lus coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* *Quare* (inquit idem Apo-
*2, Cor. 4.* stolus) *semper mortificationem IESV in corpore vest o circumferentes, ut & vita Christi in corporibus vestris manifestetur.* Videtis Christi vitam nobis esse imitandam & moribus exprimendam?

*Christus enim* (inquit Apostolus
*1. Pet. 2.* Petrus) *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.*

Hinc toties Salvator ipse nos invitat ad ferendam crucem, ad a-
*Matt: 3.* gendam pœnitentiam. *Pœniteñti-*
*& 4.* *am,* inquit, *agite, appropinquabit Regnum cœlorum.* Et iterum: *Nisi*
*Luc: 13.* *pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et *qui non accipit crucem su-*
*Matt; 10.* *am & sequitur me, non est me dignus.*

Quare multum aberrant, & eorum salus graviter periclitatur, qui

qui religionem ingressi, libertatē quærunt, voluptates & corporalia commoda sectantur, honores ambiunt, propria affectant. Quid enim hoc aliud est, quàm latam portam & spaciosam viam ingredi, quæ ducit ad perditionem? Quod cùm in hominibus sæcularib⁹ etiam sit damnabile, quanto magis in Religiosis?

Multo ergo melius saluti suæ consulunt illi Religiosi, qui divitijs omnibus & delitijs hujus sæculi contemptis, Deo tantum placere & servire student. Potiùs eligentes, in humilitate, sobrietate, asperitate, paupertate, castitate, & obedientia, brevem vitam transigere, & ad vitam trāsire æternam; quàm hic delitiosè, pomposè, delicatè & gulosè, vivere: & postea mortem subire æternam, atque infernalibus flammis in perpetuū cruciari: Sic enim dicit scriptura: *Quis de vobis poterit habitare cum igne* Isa. 33. *devo-*

*devorante? & quis habitabit ex vobis, cùm ardoribus sempiternis?*

Hae ratione moti tot nobiles, divites, potentes & Principes, tam innumeri homines, sua omnia deserentes, vana gaudia & carnis illecebras cõculcantes; ad crucis vexillum & Religionis portum Christi amore cõvolarunt: vitam asperam & rigidam sæpe-ducentes, ut animas suas hic salvas facerent, & æterna supplicia ac tormenta evaderent.

Hinc tot præclari Sancti, Viri perfecti atque gloriosi, ex diversis Ordinibus & Religionibus usque ad hanc diem prodierunt. Felices ergo jam illi, & terque quaterque beati, quos ipse DEus jam summa gloria & honore coronavit, & pro eorum meritis, laboribus ac virtutibus mercedem copiosam reddit. Vt nullus merito à vita Religiosa & monastica, ac Dei servitio abhorrere debeat, tametsi ibi multa

dura

dura & aſpera prima fronte appareant: quia Amor Dei, & merces promiſſa, ea ipſa levia & ſuavia reddunt. Vt meritò Chriſtus dixerit: *Iugum meũ ſuave eſt, & onus meũ leve.* *Matt: 11.*

Vis ſcire quantam mercedem & gloriam Chriſtus Dominus ſuis ſectatoribus hic & poſtea repromittit. Eandem planè quam Beato Petro & reliquis Apoſtolis repromiſit. *Merces promiſſa bonis Religioſis.* Cùm enim Petrus dixiſſet Chriſto: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Protinus aſſeverãdo promiſit; *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos judicantes duodecim tribus Iſrael.* *Matt: 19*

Ne verò dicat quis, tantum duodecim Apoſtolis hoc eſſe promiſſum, audi quid illis ulteriùs promittat, qui domum Parentũ cõſortium fratrum & ſororum deſerentes, nuptias & vxores, eius amore re-

te reſpuentes, divitias & poſſeſſiones contemnentes, propterea monaſteria ingrediuntur & Religioſi fiunt: ſequitur in Chriſti promiſ-
Matt. 19. ſione: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut matrē, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipi-*
Luc. 18. *et* (Addit Luc.) *etiam in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternā.*

Fatentur hoc plerumque boni Religioſi, quod etiam in hoc ſæculo & in hac vita multo plura recipiāt ſine cura & ſolicitudine, quàm reliquerunt in mundo cum mille curis & anxietatibus: ſicque cum magna conſolatione futuram promiſſionem præſtolantur. Cujus
S. Ber. conſolationis ſatis expertus S. Bernardus ſic loquitur. Vos mundani videtis quidem noſtros labores, conſideratis noſtras afflictiones externas ac cruces, & exhorreſcitis. Sed non aſpicitis ad noſtras unctiones nec attenditis ad noſtras cō-

conſo-

ſolationes internas Spiritus Sancti. Quod veriſſimum eſſe, teſtantur cum S. Bernardo, omnes Monaſticæ diſciplinæ obſeruatores Nam quanto quis magis affectum abſtraxerit à creaturis, propter Deum: tanto pluribus diuinis conſolationibus in animo fruetur. N.B.

Et ut ſcias quòd peculiarem gloriam & mercedem Religioſis ſuis addicat Deus in futurum, audi quæ eis per Prophetam longè antè promiſit *Hæc dicit Dominus Eunuchis* Iſa. 65. (intellige qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum:) *Qui custodierint ſabbata mea* (id eſt, in meo cultu & obſequio continuè ſe occupaverint:) *& legerint quæ ego volui*; ſcilicet obedientiam, paupertatem, caſtitatem; *& tenuerint fœdus meum* (quod per profeſſionem fecerunt:) *dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Audis me-

 liorem

liorem mercedem & maiorem glo riam præ reliquis fidelibus Religiosis addicit? *Gaudete ergo & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cælis.* (Matt: 5.)

Sed ut quis summam illam mercedem & coronam gloriæ assequatur, non sufficit, externo habitu religiosum esse, sed observantia trium votorum planè necessaria est. Denique humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, cæterarumque virtutum exercitium: ac præcipue geminæ charitatis, DEI & proximi. Quæ est omnium virtutum Regina & forma: Sine qua nihil prodest Religio, vel summa austeritas vitæ, vel quodcunque aliud opus bonum. Vt testatur S. Paulus, & fusè tractat priori sua Epistola ad Corinthios, Capite 13. Vnde fideles ad virtutum exercitiũ excitans, hanc super omnes alias extollit, dicens; *Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam,* (*Charitas Religiosis maximè necessaria*; Col: 3.)

*ſtiam, patientiam, ſupportantes invicem ſuper omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Idem inculcat Apoſtolus Petrus: *Super omnia* (inquit) *in vobiſmetipſis charitatem continuam habete, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* *1. Pet: 4.*

Imò Chriſtus Dominus in ultima ſua cœna quam ſeriò hanc charitatem nobis cõmendavit? Nam præcipiendo dicit: *Hoc eſt præceptũ meum, ut diligatis invicem.* Et ex eo *Ioan: 15.* ſigno maximè voluit ut eius diſcipuli & ſequaces dignoſcerẽtur, dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quòd* *Ioan: 13.* *diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

Hinc omnes fundatores Ordinum, & Religioſorum inſtitutores, in ſuis Regulis & ſtatutis præcipuè hujus charitatis rationem & curã habere voluerunt. Vnde S. Augu- *S. Aug. in* ſtinus in ſua Reg. ſic incipit: Ante *ſua Reg.* omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta

præcepta ſunt principaliter nobis data. Et veriſſimè dixit S. Hieronymus clauſtris & monaſterijs. Sine charitate, monaſteria ſunt tartara, & habitantes in eis ſunt dæmones: porrò cum charitate, monaſteria ſunt Paradiſus in terris, & commorantes in ipſis ſunt Angeli.

S. Hieron.

Quare nulla vitia Religioſis magis vitanda, quàm quæ huic charitati & dilectioni contrariantur: ut pote diſcordiæ, contentiones & rixæ, odium & invidia, rancor & livor: quæ vitia tanquam venenũ peſtiferum ſunt fugienda, quia pacem auferunt, & charitatem necant. Ea autem ſectanda & amplexanda, quæ pacis & dilectionis: ut ſic Filij Dei, diſcipuli Chriſti, & veri Religioſi nominemur & ſimus, & tandem promiſſionum quoque ejus mereamur eſſe participes, & bonorũ operum mercedem & gloriam conſequamur in cœlis.

Sed non omnibus iſta ſpes & conſo-

consolatio. Nam mali & perversi Religiosi, qui nullam suæ professionis, vocationis & salutis rationẽ habent: sed discoli, incontinentes, protervi, contumaces, rebelles, fidefragi ac operarij iniquitatis existunt, justam habent damnationem, quia fidem suam irritam fecerunt. Graviter talibus Dominus comminatur, eosque perstringit cum Scribis & Pharisæis hypocritis, quando dicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypochritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi,* ( id est, ex habitu tantum Religiosi ) *intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*

I. Ti. 5.

*Gravis cẽsurā & comminatio in malos Religiosos.*

Matt: 23.

Tales hypocritas egregiè descri. bit S. Bernard⁹ Hypocritæ (inquit) volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu bene vestiti sine sollicitudine: delicatè pasci

S Ber.

ſine labore: alijs adulantes, alijs detrahentes: mordaces ut canes, doloſi ut vulpes, ſuperbi ut leones. Volunt eſſe, judices ſine authoritate ſine viſu teſtes, falſi accuſatores, & omni veritate carentes. Hæc ille quàm veriſſimè: ſolent enim tales malè & ſcandaloſè viventes, alios piè & religioſè vivẽtes temerariè judicare, eos vocantes & calumniantes eſſe hypocritas, cùm ipſi verè tales ſint. Hoc autem provenit (ut inquit Sanctus Thomas)
S. Tho: in opus. ex eorundẽ ſuperbia & invidia, qua ſolent etiam bona in malam partẽ interpretari, & occulta temerariè judicare. Quod graviſſimum eſt peccatũ (inquit D. Thomas) quia non ſolùm ſibi uſurpant quod ſolius Dei eſt, ſed & alios à pietate & bonis operibus retrahunt, dum tîment hypocritæ appellari. *Væ autem vobis* (inquit Dominus) *Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis Regnum cœlorum ante homines; vos enim*
Math: 23.
*non*

*non introitis, nec introeuntes sinitis intrare.* Hoc faciunt illi perversi Religiosi, qui nec religiosè volunt vivere, nec alios patiuntur benè vivere, aut religiosam vitam ducere. De quibus etiam conqueritur apud Prophetam, ubi dicit: *Quid est quòd dilectus in domo mea fecit scelera multa.* Quasi diceret, illi qui tanquam filij dilecti esse debuerãt, & in Religione ac monasterio pié ac sanctè conversari; omnibus sese vitijs & sceleribus coinquinarunt, nullo pacto vel voto servato. *Hier: 11.*

Quod ijsdem improperat, quãdo dicit: *Confregisti jugum meum rupisti vincula mea* (nimirũ Religionis vota) *& dixisti, Non serviam*: hoc est, Non curo divinum cultum vel divinũ Officiũ non curo cõstitutiones Ordinis vel statuta majorũ, nolo ijs ac quiescere vel obedire. *Hier: 48.*

Hoc multi verbis si non dicant factis tamen ostendunt. Sed quale peccatum est istud? Audi Pro- *1.Reg. 15.*

 phetam

phetam Samuelem loquentẽ. *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Melior est autẽ obediẽtia quàm victima.*

Detestandi ergo tales Religiosi, qui deteriores sæpè fiunt in Religione, quàm unquam fuissent in sæculo. Vnde de talibus dicit D. August. Sicut non inveni meliores, quàm qui in monasterio profecerunt; sic non expertus sum deteriores, quàm qui in monasterio defecerunt. Et D. Gregorius: Nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui perversè agens, nomen & ordinem sanctitatis habet: nam delinquentem redarguere, nemo facilè præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur: quando, pro reverentia ordinis vel dignitatis peccator honoratur. Et D. Hieron: Nulla in mundo tam crudelis bestia, quàm malus monachus vel malus sacerdos: nam corrigi non patitur, nec veritatem sustinere valeat.

*S. Aug: Epi: 137.*

*S. Greg: in Pastor. 1. Parte cap: 2.*

*S. Hier.*

Et

Et quod magis dolendum & deplorandum ſit, quod integra monaſteria ſubinde reperiantur, ubi monaſtica diſciplina planè collapſa ſit, omniſque everſa Religio, ut omnes ibidem corrupti moribus & malæ vitæ reperiantur: Crumena propria æquè inſtructi, ac ipſi ſæculares, quaſi nunquam votum paupertatis feciſſent, ita proprijs cōmodis & lucris inhiantes. Multi quoque in verbis & moribus ita leves & obſcæni, ut nullo caſtitatis voto obſtricti appareant. Multi de obedientia DEO dicata ita parum ſolliciti, ut ſuis Superioribus interdum potius dominētur quam obtemperent. Multi denique quibus religionis, præter nomen & habitum, nihil in ipſis appareat. Sicque magno cùm ſcandalo & offendiculo multorum, vivunt in Religione: ſuæ vocationis & profeſſionis prorſus immemores, eo quod tantum libertatem laxioris vitæ

*Pravorũ Religioſorum corruptela & depravati mores.*

quærant; à divino cultu & officio publico se absentare gaudent; Delicatum cibum & potum non tantum affectant, sed etiam ad superfluitatẽ sese ingurgitant: vestimẽta non minus pretiosa, quam curiosa, sibi comparant. Sæcularia solatia & cõsortia exquirunt: nugis, fabulis, vaniloquijs delectãtur; & tandem execrandis vitijs & criminibus assuescunt. Et quod deteriùs est, ita ijs indurescunt, ut vix aliqua spes emendationis, correctionis vel sinceræ pœnitentiæ in ijs appareat; quasi in reprobum sensum jam dati, & à Deo derelicti.

Vtinam mundus hos sibi servasset? ut quid enim monasteria incolunt? terram [illegible]notã calcãt? Quare tales eleëmosynas bonorũ devorãt? Quare Angelica gymnasia spiritualis exercitij, delitijs carnalib⁹ contaminant? Quare mundo ejusque pompis, & vanitatibus, sponte in religione renunciarunt, & tria vota Solen-

Solenniter emiserunt, si ea minimè servare non intendāt? Saltem simplicem gehennā in seculo malè viventes sibi comparassent: ubi jam duplici gehennæ supplicio, in monasterijs scandalosè viventes, se reos faciunt. *Sed væ homini illi, per quem scandalum venit*, inquit Christus. Maximè ergo illis horrificum væ, & gravis condemnatio, qui cum alijs deberent prælucere bonis exemplis, ac pijs moribus, potius prava sua vita, plerosq; offendunt. *Matt. 18.*

Sed meritò tales puniuntur, hic & postea: quia hic infames & despecti, & subinde in magna rerum penuria & egestate constituti; cùm è contrario, boni, reformati ac veri Religiosi, in magno honore & respectu habeantur, & omnibus rebus necessarijs abundent. Quod Dominus apertè apud Prophetam prædixit. De bonis enim in primis sic loquitur: *Ecce servi mei comedent* *Isaiæ 65.*

*medent & bibent*: id eſt nulla eis deerunt neceſſaria. *Ecce ſervi mei lætabuntur, & laudabunt præexultatione cordis*: id eſt, hilari ac læto animo ſervient Deo ſuo, pro omnibus beneficijs, & quod videbunt ſeſe in magno reſpectu & honore haberi apud Deum & homines. Sed econverſo, de malis loquitur Religioſis: *Vos autem eſurietis & ſitietis*: id eſt, in penuria & egeſtate eritis. *Vos confundemini, & vos clamabitis præ dolore cordis, & ululabitis.* Id eſt, Eritis viles & contemptibiles, & præ amaritudine deplorabitis ſtatum & conditionem veſtram. Hoc ita fieri, ipſa nos experientia docet. Vt veriſſimum ſit quod S. Thomas habet in ſuo Hymno: *Viſita nos, ſicut te colimus*: quaſi diceret. Ita nos Deus ſuis beneficijs & conſolationibus, viſitat magis vel minus, prout plus vel minus ferventes in ejus obſequio nos exhibemus.

*Benedictio bonorum Religioſorum*

*Maledictio malorum.*

Nec mireris in S. Religione, & ſub

ſub habitu pietatis, ſubinde reperiri malos & perverſos, diſcolos & immorieros falſos fratres & fictos Religioſos. Quia mali hic bonis intermixti ſunt, hœdi ovibus, zizania & palea tritico: ut nihil purum & nõ coinquinatũ hic reperire liceat. *Mali hic ſemper bonis intermixti.*

In fine autem mundi, hædi ab ovibus ſeparabuntur, zyzania & paleæ comburentur igne inextinguibili, & triticum purum in cœleſti horreo collocabitur, & boni ab omni ſocietate malorum immunes erunt.

Ineptè ergo agunt illi, qui ita facile ſcandalizantur, ſi quem viderint Religioſum delinquentem, vel pravum moribus, & exeo de alijs omnibus malè ſentiunt & ſuſpicãtur, eoſq; temerariè judicant. Qua de re egregiè diſſerit D. Auguſtinus. Cum aliqua maritata (inquit) invenitur adultera, vos viri non propterea proijcitis vxores veſtras, nec accuſatis matres veſtras *Epiſt. 137.*

*Nec Religio est cõtemnẽda, nec vita monastica despicienda propter aliquorũ malam vitam.*

ſtras tanquam adulteras. Cum autem de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Idemque paulò infrà: Quantumlibet vigeat diſciplina domus meæ, tamen homo ſum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit quàm Arca Noe, ubi inter octo homines reprobus vnus inventus eſt: aut melior ſit quàm domus Abrahæ, ubi dictum eſt: *Eijce ancillam & filium ejus*: aut melior ſit quàm domus Iſaac, cui de duobus dictum eſt: *Iacob dilexi, Eſau odio habui*: aut melior ſit quàm domus ipſius Iacob, ubi lectum patris filius inceſtavit: aut melior ſit quàm domus ipſius David, cujus unus filius cum ſorore concubuit, & alter filius contra patris manſuetudinẽ rebellavit: aut melior, quàm cohabita-

*Gen. 21. 35. & 49.*

*2. Reg. 13. 15.*

habitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum & furem Iudam tolerarunt; aut melior sit postremò, quam cœlum, unde Lucifer & Angeli ceciderunt.

Denique ad extremum ita Religionis causam tuetur S. Augustinus, ut ostendat (etiamsi ista effugere non possit) quanta tamen sit ejus dignitas ac splendor; ubi tot boni, sinceri, sancti ac perfecti Religiosi reperiuntur. Etsi (inquit) contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis.

Vnde Divus Bernardus egregiè Religioné describit, dicens. Monastica disciplina, illa est quæ cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, frænat gulam, sedat iram, format incessum, totumque hominem cópositum facit, & perfectum reddit. S. Bern.

Deni.

*Magna disparitas inter sacram Religionē & mundum.*

Denique quandam insignem facit disparitatem: inter statum Religiosum, & statum mundanum.

In Religione siquidem homo.

*Vivit purius.*
*Cadit rariùs,*
*Surgit velociùs,*
*Incedit cautiùs.*
*Purgatur citiùs,*
*Quiescit securiùs,*
*Irrigatur frequentiùs.*
*Moritur confidentiùs,*
*Remun[e]ratur copiosiùs,*

In mund[o] autem homini.

*Immunda sunt omnia,*
*Ruina fre[q]uens,*
*Tarda resurrectio,*
*Incauta conversatio,*
*Crebra inquinatio,*
*Periculosa quies,*
*Rara irrigatio,*
*Mors expavescenda,*
*Merces dolorosa.*

Quis

Quis hic non videt, quanta bona præſtet ſtatus religionis, & quanta media præbeat ſalutis.

Vnde S. Franciſcus ſic ſolet ſuos, animare. Fratres dilectiſſimi magna promiſſimus, ſed maiora promiſſa ſunt nobis; ſervemus hæc ſuſpiremus ad illa. Voluptas brevis, Pæna æterna, modica paſſio: gloria infinita. *S. Franc.*

Excellentiſſimus itaque & feliciſſimus eſt ſtatus Religioſorum, qui tanta bona præſtat: ad perfectionem, ad ſanctitatem homines ducit, & ad ſummam beatitudinem extollit.

Quam tamen ut quis aſſequatur, non ſufficit ad tempus benè & piè vixiſſe, & religioſè cōverſatum fuiſſe: ſed ipſa denique perſeverantia neceſſaria eſt: ſine qua nullus coronatur. Nam finis coronat opus. *Qui enim perſeveraverit, uſq; in finem, hic ſalvus erit*, inquit Chriſtus Salvator. *De perſeverantia,* *Luc: 10.*

Nemo

Luc: 9. *Nemo autem mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei.*

*Sed estote fideles usque ad mortem,* (inquit Dominus) *& dabo vobis coronam vitæ.*

Luc: 1. Igitur *serviamus illi, in Sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

## ORATIO ANTE STVdium.

## S. THOMÆ AQVINATIS ANGELICI Doctoris.

CREATOR ineffabilis, qui de Thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias annotasti, & eas super cœlum Empyreum miro ordine collocasti; atque universi partes elegantissimè disposuisti. Tu inquam qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens

minens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras, tuæ radium claritatis, duplicem in qua natus sum, à me removens privationem & tenebras, peccatum scilicet & ignorantiam. Tu qui linguas infantium facis disertas linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas, da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum & facilitatem, interpretādi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressus dirigas egressum compleas; Tu qui es verus DEUS & homo. Qui vivis & regnas DEUS, amen.

SALUTATIO
AD ÆTERNAM SApientiam quotidie dicenda B. Henrici Susonis Ord: Prædic:

ANima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcor-

præcordijs meis de mane evigilavi ad te O Præclarissima sapientia, petens ut desiderata præsentia tua, cuncta nobis adversantia removeat, penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat, & in Amore tuo vehementer accendat. Et nunc dulcissime Domine IESU Christe, ad te diluculò consurgo, teque ex intimo cordis affectu saluto. Millia quoque millium cœlestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, & decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent, Vniuersalis etiam Harmonia omnium Creaturarum, te ex me collaudet, ac nomen tuum gloriosum protectionis nostræ Clypeum benedicat in sæcula, Amen.



FINIS

FINIS CORONAT OPVS

*Finiat & coronet libellū.*

ÆTERNITAS QVÆ sine fine.

*Annos æternos in mente habui.* *Psal. 76.*

O ÆTERNITAS.

*Quam rarò versaris in mentibus hominū.*

Iterum dico.

*Quam rarò versaris in mentibus nostrīs.*

ÆTERNITAS.

O Æternitas heu Æternitas.

*Quid dicam? aut quomodo dicam?*

*Quis exprimat? Quis concipiat?*

*Quid sit*

ÆTERNITAS.

*Cogito mille annos, cogito millies mille Annos.*

*Cogito tot annorum millia quot sunt momenta in toto tempore à condito Mundo, usq; ad ejus consummationē, Et de Æternitate adhuc nihil habeo.*

O Æternitas heu Æternitas.

*Quis poterit par esse æternitati in Tormentis?*

*Volo*

*Volo dicere, & nescio dicere: Quam diu Deus erit Deus, tamdiu durabunt tormenta.*

Quam diu hoc erit?

*Æternitas, Æternitas, Æternitas, non est effari, non est concipere non est invenire istud.*

Quam diu.

*O Æternitas heu Æternitas Æternitas. O Deus hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in Æternum parcas.*

---

Ne pagina vacua remaneat.

VITA VENERABILIS

*Patris Fratris Bernardi Paxilli.*

PAter Frater Bernardus Paxillus, primùm institutum Canonicorum Regularium, sanctissimi sepulchri Domini Hierosolymitani, am plexus, postmodum in maturi ætate Ordinem Prædicatorum ingressus, totũ se ad austerioris vitæ observantiam contulit. Carnes toto Religionis tempore nunquam edebat, piscibus rarissimè vescebatur

tur ſolis juſculis & oleribus cõtentus. In choro noctu diuq; aſſiduus aſpero cilicio pro tunicella utebatur: diſciplinis adeo acriter corpus ſuum flagellabat, ut ſæpiſſimè ſanguinis guttis pavimentum maderet, ſilentij tenaciſſimus, vultu adeò compoſito, ſemper demiſſis oculis, tam intus quam extra incedebat. Habitui rudi, culcitrã duram & lectum adhibebat. Terribilis Dæmonum exorciſta, multos ab Obſeſſorum corporibꝰ fugavit, graviſſimas ab ijſdem perpeſſus injurias. Splendebat in eo mira ſapientia, & acrimonia in perſequendis hæreſum erroribus tanta, ut ultra centum ex obſtinatiſſimis hæreticis, ſuis ferventiſſimis Con-[illegible]nibus & diſputationibus ad fi-[illegible] Chriſti reduxerit. Vt Arrianorum impietatem condemnaret, ingens Monomachiæ volumen edidit plura mente concepta mors interrupit. In graviſſimis morbis patien-

patientissimus tandem omnibus Sacramentis more religioso munitus in Conventu Cracoviensi non sine magna sanctitatis opinione animam creatori reddidit.

---

## VITA VENERABILIS Fratris CAROLI FRANCO Clerici.

IN Conventu Luceoriensi Fr. Carolus Franco Clericus Professus modesti[illegible], patientiâ, & abnegatione propriæ voluntatis insignis, virginitatem suam B. MARIÆ V. erga quam singulari pietatis affectu ducebatur perpetuò servandã devovit. Incontēplanda Christi Passione assiduus, cõsummat9 in brevi post annũ suæ Professionis eo ipso die quo professionē emiserat cum magna sanctitatis opinione decessit cuius ag[illegible] Virgo DEIPARA suâ Præsentiâ [illegible] in modum recreavit, quam il[illegible] [illegible] trem suam compellans fratribu[illegible] in[illegible] randam indice monstrabat. Ei[illegible] funus præter maximam plebis multitudinem quatuor regni Principes decoraverē qui cum proprijs manibus sepelierunt.

FINIS.

VM

nibus
muni-
non
one a-

LIS
CO

arolus
desti
iæ vo
vam
ietatis
vandā
Passi-
vi poss
ie quo
a sa
ag
-
ur
n in
fu-
lti tu-
de-
na-

niepr[illegible]ości

N

my ſie
obráź

